Eorum verò qui è terra venerunt, plurimos, quia & ipſi calamitatibus laborauerint, & laborantes alios viderint, haud temerè vitá eligere. Quam ob cauſam, ac etiam propter ſortis fortuná, bonorum malorúmq; multis animis mutationem contingere. Porrò ſi quis ſemper cùm in hanc vitam venerit, ſyncerè philoſophetur, neque electionis ſors vltima ei cõtingat, eum ex his quæ illinc nunciantur apparet, non hic ſolùm felicẽ fore, ſed & profectionem hinc illuc, regreſſionémq; huc iterum haud ſanè terrenam & aſperam ſubiturũ, ſed lenem atque cæleſtem. Hoc quoq; conſideratione dignum ſpectaculum eſſe dicebat, quomodo ſingulę animę vitas ſingulas eligebant. Miſerabile quippe iſtud, ridiculum, viſúq; mirũ, electionem ſcilicet ſecundũ vitæ prioris conſuetudinem, vt plurimá facientes. Animam enim, inquit, quæ olim Orphei fuerat vidiſſe, cygni vitá odio muliebris generis eligẽtem: nolentẽ videlicet ex mulieribus à quibus occiſus fuerat, naſci: Thamyris verò philomenæ. Cygnũ etiam conſpexiſſe ad humanæ vitæ electionẽ cõuerſum, aliáque muſica animalia, vt cõſentaneũ eſt, ſimiliter. Quandam etiá animam, cùm oblatæ ſortes eſſent, leonis, elegiſſe vitá: hanc verò Aiacis Telamonij fuiſſe dicebat, deteſtantẽ hominũ naturam quoties iudicij illius, vbi pro armis cũ Vlyſſe contendit, in mentem veniſſet. Poſt hũc Agamemnonis animam propter ærumnas, odio humani generis vitam aquilæ aſciuiſſe. Atalantes autem animam, cui media quædam ſors contigerat, intuitá dixit quàm maximis honoribus vir athleta afficiatur, cõtinere ſe non potuiſſe quin vitam athletæ eligeret. Animam deinde Epei Panopeenſis ad artificioſæ mulieris naturam protinus migraſſe. Longè verò inter nouiſſimas ridiculoſi Therſitis animam ſimiam induiſſe. Caſu verò, Vlyſſis animæ ſortem vltimá contigiſſe. Quocirca & ad eligendum vltimá adueniſſe dicebat. Prætoritorũ autẽ laborũ memoria, ab ambitione ceſſantem, diúq; prius quàm eligeret circumeuntẽ, quæſiſſe priuati hominis maximéque à rebus regendis alieni vitá. Eámq; vix tandẽ alicubi iacentem & ab aliis neglectá reperiſſe, dixiſſéq; non aliam ſe vitam electurá fuiſſe, etiá ſi ſortem primá nacta eſſet: quare vitam illam libenter fuiſſe complexam. Ex feris item aliis in homines tranſire animas aſſerebat, & inuicẽ commutari: iniuſtas quidẽ, in feras agreſtes: iuſtas autem, manſuetorum animalium vitá capeſſere, atque omnes hunc in modum confici mixtiones, cùm vitas, omnes animæ gradatim, vt ſors dederat, elegiſſent, longo ordine ad Lacheſim acceſſiſſe narrabat. Lacheſim verò cuiq; dæmonem quẽ ceperat quæq;, ipſius vitę cuſtodẽ pręſcripſiſſe, electorúmq; operum executorem. hunc in primis ad Clotho animam ducere, & ſub illius manu reuolutionéq; & vertigine fuſi, approbare quam ſortitus fortunam elegerat. Hanc vbi tetigit, mox hinc ad Atropon nentem, quę immutabilia ſtamina reddat. Illinc poſtea properè Neceſſitatis thronũ adire: per quem cùm tranſierint omnes, ſub vehemẽti calore & æſtu in campum Letheum proficiſci, arboribus & omnibus quæcũq; terra naſcũtur, penitus deſtitutum. Recũbere igitur ipſas aduentante nocte iuxta Amelitam flumẽ dicebat, cuius aquam vas nullum contineat. Atq; ipſius aquę bibere aliquantum cuiq; neceſſarium. Eos autem qui prudentiam ducem non habẽt, vltrà quàm deceat bibere. Semper verò bibentem omnium obliuiſci. Vbi verò ad mediá noctẽ dormierint, ſubito tonitru & terræ motu excitos repentè aliũ aliò ſurſũ ad generationem cõſurgere, ſtellarum inſtar proſiliẽtes. Se verò flumine ex illo potare prohibitũ fuiſſe narrabat. Quomodo autẽ in corpus redierit, ignorare: ſed cum diluculo ſubitò circunſpiceret, ſeipſum pyrę impoſitum animaduertiſſe. Atque ita, ô Glauco, ſeruata eſt fabula, neque periit, nóſq; ſeruabit pariter, ſi ipſi parebimus, & Letheum, id eſt obliuionis fluuium bene tranſibimus, nulláque macula animam inficiemus. Quamobrẽ ſi ſermonibus meis obtemperabimus, immortalem fore animam arbitrantes, talémque vt & mala poſſit & bona omnia ſuſtinere, viá ſemper ad ſuperiora ducentem ſequemur, iuſtitiámque cum prudentia omni ratione colemus: vt & nobis ipſis ſimus, & diis amici, dum hanc ducimus vitam, & poſtquàm virtutis præmia reportauerimus, tanquam potiti victoria & triumphis, & hic, & in millenario annorum itinere, quo de diximus, feliciter habeamus.

COMPENDIVM MARSILII FICINI IN TIMÆVM.

DE SVBIECTO LIBRI.

CAPVT. I.

Qvemadmodvm in Parmenide cuncta diuinorum genera pro viribus compræhendit, ſic omnia in Timæo complectitur naturalia, & vtrobique plurimum Pythagoricus eſt, ſub perſona Pythagorica diſputans. Atque in Parmenide quidem, Parmenidem & Zenonem Eleates Pythagoricos, qui de diuinis ſcripſerant, imitatur. In Timæo autem, Timæũ Locrum, Pythagoricum, qui librum de vniuerſi natura cõpoſuit, ſequitur. Ita tamen, vt his nõ eloquentiá ſolũ adiungat, ſed myſteria. Quoniam verò diuina quidem naturaliũ principia & exemplaria ſunt: naturalia verò diuinorum effectus atque imagines, idcircò & in Parmenide dum de diuinis agit, interim deſcendit ad naturalia, & in Timæo naturam tractans, ſurgit ſæpius in diuina. Neque iniuria diuinitatem ſimul naturámq; copulat. Natura enim diuinitatis eſt inſtrumentum. Atque ita vel de naturalibus agit diuinè, quemadmodum Ariſtoteles, vel de diuinis naturaliter agit. Interſerit quoque mathematica tanquam vtrorunque media, diuinorum ſcilicet atque naturaliũ. Quæ videlicet, per numeros quidem diuina, per menſuras verò ſignificent naturalia. Sit ergo huius libri ſubiectum ipſa vniuerſa natura, id eſt, ſeminaria quędã & viuifica virtus toti infuſa mundo, animæ quidem mũdanæ ſubdita, materiæ verò præſidens, eodémque ordine ſingula pariens, quo & anima ipſa concepit, tam diuinam ſuſcipiens mentem, quàm appetens bonum.

DE ORDINE LIBRI & partibus eius.

CAP. II.

Patebit autem naturam vniuerſi ipſúmque vniuerſum non ex ſe quidẽ conſiſtere, ſed ex ſuperiori diuináq; cauſa depẽdere. Patebit inſuper quot in gradus natura diſtribuatur, cæleſtes, elemẽtales, ſimplices, cõpoſitos, rationales, ratione carẽtes. Patebit totam ſub luna generationem ad animal rationale quaſi finẽ dominúmque referri. Multa pręterea de hoc ipſo animali, tum ad animam, tum ad corpus ſpectantia tractabuntur. Multa quoq; de rebus quæ à natura infra rationale animal cõponũtur. Et vt ſummatim dicam, de triplici mũdo tractabitur, ſcilicet de diuino cæleſtique & humano. Oſtendetur quoque omniũ quæ in mundo componũtur ipſiúſque mundi, duo quędam principia intrinſecus elemẽta eſſe, ſcilicet materiam atque formã: tria verò extrinſecus eſſe principia, ſcilicet efficientem mundi cauſam, & exemplarem, atque finalem. Et efficientem quidem eſſe diuinam potentiam, & intelligentiam atque voluntatem. Exemplarẽ verò, ideas intelligentia diuina conceptas: Finalem denique bonũ.

DE INTRODVCTIONE AD dialogum. CAP. III.

Cæterùm vt ad ipſam diſpoſitionẽ dialogi veniamus, Plato quinque continuos diſputationibus deſtinauerat dies. In primo quidẽ Socrates in Piræo vnà cum Polemarcho, Glaucone Adimãto, Thraſymacho Sophiſta de republica diſputauit, Secũdo verò die in vrbe recenſuit eadem Timæo & Critiæ atq; Hermocratici, & quarto cuidam abſq; nomine peregrino forſan Timæi comiti. Tertio die horũ epilogũ faciunt. Quo quaſi exordio mox facto Timæus diſputauit de natura, præſentibus tribus Socrate, Critia, Hermocrate. Quartus enim qui abſq; nomine ſecũdæ interfuit narrationi, iam abeſt à tertia: non enim cuiuſlibet eſt ſecretioribus intereſſe. Quarto autem die orationem habuit Critias. Quintus deniq; nondum dies illuxit. Commodè admodũ poſt diuinæ apud homines reipublicæ tum diſpoſitionem, tum epilogum ad cæleſtem rempublicã huius exemplar in Timæo acceſſit ab ipſo deo compoſitam: deinde ad mundi generiſque humani antiquitatem, & res miras à veteribus ſtrenuè geſtas.

ALLEGORIA HISTORIÆ, QVÆ narratur in Prologo. CAP. IIII.

Narrat autem inter dialogi huius exordia hiſtoriã de bello quodam inter Athenienſes Atlanticóſque commiſſo. Hanc itaque Crantor tempore primus Platonis interpres nudã abſq; allegoria hiſtoriam accipit. Quidam verò cõtrà, tanquam ſolam allegoriam. Sed hos redarguunt probatiſſimi quiq; Platonicorũ: affirmantes quidem hiſtoriam, quia Plato dixerit. Sermo futurus eſt valdè mirabilis, ſed omnino verus. Senſum pręterea Platoni nihil vſquam temerè molienti allegoricum exiſtimante exhibendum. Bellum illud igitur inter Athenienſes atq; Atlanticos imaginem præ ſe ferre putant oppoſitionũ quæ in vniuerſo ſunt omnium. Bellum enim, id eſt oppoſitionem apud Heraclitum eſſe omnium patrem. Amelius quidem oppoſitionem adducit inter firmamentum, atque planetas: præſertim quoniam in Critia dicitur, Atlanticam inſulam in ſeptẽ circulos fuiſſe diuiſam. Origenes verò oppoſitionem ſuperiorum dæmonum ad inferiores, atque victoriam: illis potentia his numero excedentibus. Numenius autem diſſenſionem excellentium animarum ſequẽtium Palladem, aduerſus alias animas generationem, ſub Neptuno ſequẽtes. Porphyrius pugnam inter dæmones deducentes in generationem, & animas ad ſupera contendentes. Diſtinguit tripliciter dæmones: alios eſſe diuinos: alios eſſe ſecundum habitudinem quandam: quorum numerum particulares impleant animæ ſortem nacta dæmonicam: alios eſſe malos & noxios animabus. Hos igitur dæmones infimos confligare cum animabus in aſcenſu ſemper atque deſcenſu: præſertim occidentales dæmones. Nam eam ab Aegyptiis plagam noxiis accõmodari dæmonibus. Proinde Iamblichus, Syrianus, Proculus, his addunt oppoſitionem ipſam in vniuerſis vigentẽ perpetuò, inter vnum & multitudinem: terminum & infinitatem: idem & alterum: ſtatum & motum: ex quibus ſub primo omnia componuntur. Item ens, aut per ſe, aut nõ per ſe. Rurſus eſſentia vel incorporea, vel corporea, & incorporea quidẽ vel non declinat ad corporea, vel declinat. Corporea verò vel nõ caduca, ut cæleſtis: vel caduca, vt elementalis. Denique in cælo quidem oppoſiti inter ſe motus, & diuerſæ virtutes. Sub cælo autem repugnantes inter ſe qualitates. Summatim verò horum omnium diſcrepantia per antiquum illud bellum ſignificatur: & vbique ſuperiora præſtantioráque per Athenienſes, alia per occidentales ſignificantur. Eiuſmodi verò allegoria diſputationi Timęi non mediocriter conuenit. Cõfirmatur etiam per ea quæ in Critiam commentamur.

CASVS PHAETHONTIS. DIluuia, Incendia, Mineruæ deſcriptio.

CAPVT V.

Hic iterũ te admoneo vt memineris nouẽ annorum millia ab Eudoxo millia menſium cõputari. Item Phaethontem Solis filium fulminatum exuſſiſſe terram ſignificare apud quoſdã vaſtam cometam natura ſolarem tandem diſſolutam intolerabiles æſtus concitauiſſe. Fortè etiã incendia quæ narrat Moyſes miſſa diuinitus. Vbi vero ad diluuia peruenit, memẽto ignem quidem omnium efficaciſſimũ eſſe: aquam verò efficaciorẽ eſſe terrã, & patibilẽ minus aere. Itẽ ignẽ diuidere potenter atque penetrare: aquã vndiq; valdè percutere. Ideo per duo hæc elemẽta vaſtiores calamitates accidere. Adde & finalẽ cauſam: quia videlicet per exitiũ factũ ab his duobus, ſequitur maius bonũ, id eſt fæcũdior rerũ regeneratio quàm per aeris peſtes terræq; hiatus. Ideò prouidentiá ad ampliſſimũ exitium his duobus præcipuè vti. Cui ſic rotæ cæleſtes inde rectè obtemperãt: vt quibus temporũ interuallis exitiũ imò reformationẽ fore Deus inſtituit, iiſdẽ planetæ omnes ad aſtra vel ignea, vel aquea ſtellis quoq; fixis ad idem cõducentibus ritè concurrant. Memineris præterea Neptunũ quidẽ prouidentiã naturalem, Palladẽ verò prouidentiã intellectualẽ ſignificare: atq; hanc ipſam Palladẽ à Platonicis deſcribi, diuinitatem ſapienter ſimul atq; potenter tũ cæleſtia exornantem tum quæ ſub cælo fiunt ædificantẽ: inter aſtra, Arieti præcipuè præſidentẽ, & æquinoctialis circuli ducẽ: vbi potiſſimũ vigere putant motricẽ vniuerſi virtutẽ. Mandabis memoriæ aureũ epigramma, quod Proculus in Ægyptiorũ hiſtoriis legit Mineruę templis inſcriptũ: Ego ſum quæ ſunt, quæ erunt, & quæ fuerũt. Velũ meũ reuelauit nemo. Quem ego fructũ peperi ſol eſt natus.

PRÆCEPTA DE VOTIS ET precibus electiſſima. CAP. VI.

Vbi verò Plato ad Deum peruenit ſuppliciter adorandũ: audi Porphyrium diuinas ſupplicationes ita probantẽ. Cùm Deus nobis prouideat, ac res noſtræ poſſint aliter ſe habere, certè pro rerum noſtrarũ vſu vtiliter adoramus: videlicet ſi boni ſimus. ſic enim vtpote ſimiles facti Deo propius coiungemur, In qua quidem coiunctione adorationis vis tota cõſiſtit. Nẽpe cùm dei filij ſimus: ſed ab eo quaſi in exilio & carcere ſegregati: ſuppliciter adorare decet. quo hinc liberati reuertamur ad patrẽ. Alioquin ſimiles eorum erimus, qui parẽtum patriciniis ſunt orbati. Profectò cùm vniuerſi partes ſimus, vniuerſo procul dubio indigemus. Ipſa enim ad totũ conuerſio partibus ſalutẽ præſtat. Siue igitur virtutẽ ſectaris, adorandus eſt tibi qui totã virtutẽ cõtinet. Ipſum nanq; amare bonũ, cauſa erit & tibi eius quod tibi expedit boni. Siue corporeũ optas bonũ, extat in vniuerſo virtus omnia cõtinens corpora. Inde igitur prouenire neceſſe eſt partibus quibuſcunq; ſalutem. Copertum verò habemus excellẽtiſſimos quoſque apud omnes gentes ſapiẽtia viros diuinis potiſſimũ votis incubuiſſe. præcipuè Indorũ Brachmanas: Perſarũ magos: Græcorũ theologos. Caldæos autẽ & aliud quiddã adorauiſſe. Ipſam enim ſuperorum virtutẽ appellãtes Deũ, vno hoc nomine venerati ſunt. Hæc Porphyrius. Poſt hunc diſcipulũ eius diuinũ Iãblichum audiamus, hac in re in primis à Proculo coprobatũ. Omnia ex Deo ita ſunt, vt nuſquã vel minima quæq; deſerãtur à Deo. Vbiq; enim diuina viget vnitas: per quã res quæq; conſiſtũt: ac perpetuo quodã intimoq; circulo ad Deum ipſum à quo & in quo ſunt mirabiliter reuoluuntur: alioquin in nihilũ repẽtè proruerent. Ab vnitate diuina omnia prodeunt: prodeuntiaq; vnitatẽ quandam ipſis impreſſam retinent diuinæ vnitatis imaginẽ: qua reuocantur in illã, & reuocata perficiuntur. Hæc ipſa animas rapit ad vota, quibus vnio cũ Deo nobis penitus impleatur. Quòd ſi natura ex Deo manans quaſdã rebus quibuſdã cõuenientes cũ ſuperis pprietates inſeruit, per quas quodãmodo ad ſuperos ſeſe vertãt: ceu ad ſolẽ ſolaria, ad lunã verò lunaria, multò magis animarum pater rapiẽtes ad ſe vires eis impreſſit. Quæ quidẽ in primis in diuina quadã vnitate intellectu ſuperiore, necnõ in ipſa intellectuali reflexione ſitæ videtur. ipſam verò noſtrã in Deũ reſtitutionẽ adoratio ſupplex hinc orta abſolutè conſũmat: diuinã in nos beneficentiã naturali trahẽs cõgnitate, copulãs adoratores cũ adorato, coaptãs ſuperorũ intelligẽtiæ vouentium preces: mouens voluntatẽ eorum qui bona in ſe omnia cõplectuntur, ad bona nobis ad votũ impartienda, diuinæ perſuaſionis effectrix, noſtra omnia in ſuperorum ſtabiliens firmitate. Ad voti verò perfectionem quinq; præcipua pertinẽt. Primum quidẽ eſt notio quædã eius quod adorandũ eſt, & qua ratione colendũ. Secundũ verò aſſimilatio quædã vitę noſtræ ad diuinã vitã, puritate, caſtitate, ſanctimonia, diſciplina, ordine proficiſcẽs, diuinámq; captans beneuolentiam, & animas diuinæ largitioni ſubijciẽs: Tertiũ eſt cõtactus aliquis: per quẽ eſſentiam diuinam fermè iam attingimus: & in ipſam ſummitate quadã animæ vergimus. Quartum ingreſſio quędam in luminis diuini veſtibulum. Quintum deniq; vnio, vnitatẽ animæ propriam diuinæ vnitati inſinuans penitus & cõnectẽs, vnámq; iam actionẽ eandẽ animæ deiq; cõſtans, adeò vt nec vltrà noſtri iuris ſed dei ſimus, ſplẽdore obruti & circũfuſi diuino. Huius autẽ adorationis quæ abſq; intermiſſione agẽda eſt ſupremus eſt finis, vt videlicet conuerſionem animæ cum ipſa permanſione coniungat: & quicquid à diuina vnitate proceſſit, rurſus idem firmiter reſtituat vnitati: luménq; noſtrũ ſuperno lumine circunfundat. Sola igitur adoratio recta animas beatæ reddit patriæ. Sola sãctimonia eſt plena

virtus. Solus vir bonus, vt Plato ſcribit in legibus, Deum decēter feliciterq; precatur. Sola cū ſuperis conſuetudo beatos facit. Ab hac flagitioſi omnino ſunt alieni: & tanquā profani à votis & ſacrificiis ſegregandi. Puri verò decēter ad ſupplicandū accedunt, ducētes videlicet ſecum tres præcipuè comites, fidem, veritatem & charitatem. quibus ſtipati ſpem bonorū concipiant firmā, atq; extra cętera ſeq; ipſos poſiti diuinę ſeipſos luci prorſus immergant. Fruſtrà enim Deum quæritat, qui nō adhibet ſe ſolū ſoli immobilemq; ſtabili, & ſimplicem ſimpliciſſimo. Quemadmodum enim non poſſumus enti per non ens coniungi, ſic neque vnitati per multitudinem, & ſtabilitati per motum, & ſimplicitati per mixtionem, ſed relabimur potius in oppoſitum. Hęc Iāblichus atq; Proclus. His addit magnus Theodorus: Siquis naturas rerum diligentiùs explorauerit, inuenturum non animas tantùm atque mentes, ſed quodammodo omnia excepto primo adorare atque vouere.

MVNDVM HABERE SVPRA ſe tres cauſas: ac dependere à cauſa incorporea.

CAP. VII.

Poſt hęc autem actis precibus Timæus, quia mūdū exiſtimat eſſe factum, ideóq; ab alio factum triplicē eius cauſam perſcrutatur, primò quidem efficientem, id eſt diuinam mentem: ſecundò exemplarem, id eſt idearū ſeriē diuina mente conceptam: tertiò finalem, id eſt, bonum. Mundum verò eſſe ab alio ex eo indicat, quòd etſi pro natura corporea perfectiſſim⁹ eſt, tamē pro abſoluta natura non eſt omnino perfectus, cùm propter materiā patiatur informia vel deformia: propter dimenſionē ſubeat virtutis defectū, diuiſionémq; expectet ſi diuiſor acceſſerit: propter compoſitionem diſſolutioni ſit obnoxius: ob partium repugnātiā machinetur malum: ob motum indigentiā præ ſe ferat, & priuationem patiatur admixtā: deniq; ob ipſum ex diuerſis cōgreſſum vno quodam ſuperior indigeat cōnectente: qui perfectiſſimè ſit, quoniam ex ſeipſo ſit: quemadmodum mundus quia nō eſt perfectiſſimè, cognoſcitur ex ſeipſo non eſſe. Omnino autē omnia rerū compoſitarū genera reducūtur ad aliquid quod in eo genere nō eſt cōpoſitum: ſicut dimenſiones ad ſignum, quod ex dimenſionibus nō cōponitur: numeri ad vnitatē, quæ non fit ex numeris: elementa ad id quod ex elementis nō miſcetur: ergo & entium vniuerſus ordo ad ens, quod nō conſtat ex entibus. id autē erit ſubſtantia accidētibus nullis admixta. Igitur neq; quanta erit, neq; qualis, ſed tota impartibiliſq; ſubſtātia. Neque ex eo quòd vnicum & ſimpliciſſimū erit ſolùm, minus habebit, quàm quæ præter ſubſtantiā ſubeunt accidētia. Quæ enim in ſequētibus accidētia ſunt, in ſupremo debēt eſſe ſubſtātia: & illa quidem optima. Quò verò plura addideris optimo, eò coges longius ab ipſa optimitate diſcedere. Siquidem ex admixtione noua illic reſultat qualitas, atque degenerans. Non ſolùm ergo hic mundus, quia omnino compoſitus eſt, ſed etiā ſiquis eſt ſuperior, & tamen aliquo pacto cōpoſitus, à ſuperiori ſimplicitate dependet. Quę etiā ſuper ęternitatē extat, à qua & in diuinis mētibus integra fit ęternitas: & in animalibus rationibus æternitas mixta tempori: & in mundi ſphæris ſempiternitas temporalis. In his autem quæ ſphærarum motu virtutéq; fiunt, quædam portio temporis. Quæ igitur ſuper animam cogitantur, ſemper quidem ſunt, & nunquā fiunt. Ipſa verò & eſt & fit ſemper. Mundus eſt quidē nunquam, ſed fit ſemper. Quæ in mundo gignuntur, ſunt quoque nunquā, ſed aliquando fiunt. Fieri quidem dicimus tempore trāſigi. Quoniā verò perpetuò motu temporéq; peragitur mundus ideo ſemper fieri iudicatur. Quatenus verò fit, nondum eſt. itaq; dicitur eſſe nunquam perinde ac ſi in torrente iugiter fiat reſtituaturq; imago motis, ſemper quidē in ipſo fieri ducta, nunquā in eſſe conſiſtens. Id verò inter animā & mundum differre Platonici putant: quod cælū non modò per actionem, ſed etiam per eſſentiā continuè fiat. Anima verò per actionem quidē fiat, per eſſentiam verò ſit potius à Deo quàm fiat à Deo: & quoniā eſſentia impartibilis eſt, habeat vim quādam ſuiipſius quodammodo productricem, per quam edat in ſeipſa vitam propriam atq; motum: Cælum verò vndique pendeat aliunde. Summatim quemadmodum ad eodem ſcopulo, inter ſtagnum torrentemque ſito, aſſiduè in ſtagno quidem eſt, in torrente verò fit imago, & euaneſcens iugiter recreatur: ſic à Deo ſemper pendet vtrunque, ſed aliter atque aliter. Nam ab ipſo anima quidem ſemper eſt, mūdus verò fit ſemper. Sed ab alio principio rurſus exordiamur.

IPSVM BONVM EST OMnium cauſa magis quàm ſequentes cauſæ, nec vllam habet cum cæteris proportionem.

CAP. VIII.

Vniuerſum hoc à ſummo Deo habere omnia, & actionē & virtutem pariter, & eſſentiam Platonici omnes abſq; controuerſia confitentur. Id enim à Platone ex omnibus eius libris accipiunt. Audiunt & idem in epiſtolis confirmantem. Vbi profectò ingenti cum myſterio tertios effectus in cauſam tertiam, ſecundos retulit in ſecundam: cunctos verò in vnam omniū cauſam. Neq; dixit primos effectus in primam cauſam reducēdos: ne pronunciādo duntaxat primos ſuſpicaremur eos ſolos à Deo pendere, néue Deum nominando cauſam primam, ſuſpicaremur ipſum, & cum cæteris cauſis in quodam genere cōuenire, & cū effectibus in quadam dominationis proprietate congruere. Itaq; cuncta ab ipſo procedere ſimul oſtendit: & ipſum interea ab omni procedētium communione eſſe penitus abſolutum. Idq; ob abſolutam ſimplicitatē nominat ipſum vnum: ob exuberantē verò beneficentiam, per quam & tanquam principium producendo efficit omnia, & tanquam finis eadem perficit reducendo, nominat ipſum bonum. Putat autem quæcunq; fiunt, magis ab ipſo, quàm à cæteris cauſis dependere. Siquidem ipſum in quouis opere & prius agit, & diutius, & vehementius quā reliquæ cauſæ. & reliquæ quicquid ſunt, eo faciente ſunt: & quicquid agūt, eo ducente agunt. Vt autē oſtēderet ſingula ab ipſo magis quàm ab aliis cauſis emanare, ter replicauit ipſum omnium eſſe principium. Inquit enim, Circa omnium regem omnia. Item eius gratia omnia. Rurſus ipſe omniū cauſa, vt intelligeremus & cūcta maximè inde oriri: & Deum eſſe cunctorū effectorem, & exemplar, & finem. Proinde vnū ipſum, atq; bonū eſſe ſuper eſſentiā omnē & intellectum, atq; eſſe cauſam vtriuſq; in ſexto Reip. atque in Parmenide & Sophiſta euidenter oſtendit. Cōſtat autē idem eſſe vnum atq; bonum: ne ſi diuerſa ſint, duo cogantur eſſe principia ſumma. Principiū profectò & ſimpliciſſimum eſſe debet & optimū. Nihil autē vel vnitate ſimplicius, vel melius bonitate. Neq; etiā vnitas melior bonitate, neq; bonitas vnitate ſimplicior. Vnū ergo ſunt ābo ſūmúſq; Deus: Idq; totū ſupereſſentiā eſſe atq; mentē, ſatis in Theologia & alibi cōfirmauimus.

DE DEPENDENTIA MATERIÆ ab ipſo bono: & de actione mentis & animæ in materiam: & de mundo intelligibili. CAP. IX.

Ab hoc vtique vno bonóque ſuper omnē eſſentiam eminēte Plato in Parmenide & Sophiſta omnes entiū deducit gradus: tū eorū quę verè ſunt, id eſt, formarū ſeparatarū. tum eorū quæ nō verè ſunt, id eſt, formarū materiæ inhærentiū: tū infimā materiæ gradum. Qui vſq; adeò non verè eſt, vt proximus ei ſit, ꝙ fingitur iā verè nō eſſe. Hāc vtiq; materiā in Parmenide ab ipſo bono in vltimo rerū gradu deductā, accipit in Timæo quaſi iā genitā: & architecto mūdi ad effectū mūdani operis ſubditā. Sed nūquid Deus mūdi autor, idē & materiæ eſt effector? Reſpondebit hic Ammonij & Origenis ſchola, eundē eſſe. Et in Parmenide quidē tractari, quēadmodū materia eſſe à Deo accipit: in Timęo verò qua ratione ab eodē accipit bene eſſe, prius antè quodammodo eſſe q̄ bene eſſe excogitari. Reſpondebit aliter communis Platonicorū ſchola nō eundū eſſe Deū, qui materiā facit: & qui format proximè. Imò materiā à ſummo quidē bono eſſe: ab intellectu verò formari: ab anima poſtremò moueri. Imò verò omnia hæc à primo: ſed eſſe à primo tantùm. Formari à primo per intellectū: moueri, & mouēdo formari mobiliter, à primo per intellectū ſimul & animā. Perinde ac ſi fingamus figulū quēdā, qui manu ꝓpria lutū faciat, factū ꝑ totā formet, formādo ligneo quodā diſtinguat pectine atq; figuret. Nemo vtiq; dixerit vas à pectine atq; tota magis fieri q̄ à figulo, quāuis à figulo per rotā fiat & pectinē. Vniuerſū hoc ſimiliter ab ipſo bono iudicāt ꝑ intellectū quendā diuinū animamq; vniuerſi procedere. Meritò ab ipſo mūdū proximè fieri maximè vnum, ab ipſo bono maximè bonū. At quoniā viſibilis hic mundus ob multiplicem partiū diſtantiam, qualitatum repugnantiam, effectuū diuerſitatem, materialium deformitatē, neque maximè vnus eſt, neque maximè bonus, ideò antè hunc exiſtimāt ab ipſa vnitate bonitatéque diuina mundū alterū proximè emanare, & prout natura patitur quā ſimillimū, non viſibilē quidē, ſed intelligibilem, intellectualémq;, exēplaria omniū quæ in hoc gignuntur, habentem. Quem quidē diuinum

intellectum nominant, non ipſum bonum, ſed optimum boni filium. Quem ſi vnius cum primo ſubſtantiæ eſſe intelligamus, Platonem Chriſtianæ theologiæ magis conciliabimus. Sed cæteri Platonis interpretes reclamabunt.

SOL, LVX, LVMEN, SPLENdor, calor, generatio ſimiliter vnitas, bonitas, intellectus, anima, natura, corpus mundi, imago mundorum ſuperiorum. CAP. X.

Maneat ergo Chriſtiana & Moſaica veritas. Ac interim, ſi pluribus placet interpretum, forſan fuerit hæc vel Platonis opinio, vel Pythagoræ: Intelligibilem mundum inter viſibilem atq; ipſum bonum eſſe medium: imaginem quidem boni, exēplar verò corporei mundi: ita à bono pendentem, ſicut lumen extra ſolem à luce intra ſolem. Præterea producentem ex ſe proximè mundi animam, ſicut & lumen fundit ex ſe ſplendorem: pérque animam, ſingula quotidie generantem, ſicut ſplendor per calorem corporea gignit. Quemadmodum igitur ſex hi gradus ordine diſponuntur. Primò quidem ipſa ſolis ſubſtātia: Deinde lux ſubſtantialis & intima: Tertiò lumen inde manans: Quartò ſplēdor reſultans ex lumine: Quintò calor ſplendore ſuccēſus: Sextò generatio caloris flagrantiā coaleſcens: ita ſex alij digerantur. Primò quidem, vnitas, deinde bonitas: neque tamen re ipſa duo hæc, ſed ratione quodammodo diſtinguantur. Eadem nanque diuinitas: & quia omnia ſupereminet, vnitas: & quia per omnia rurſus exuberat, bonitas appelletur. Hanc vtique exuberandi virtutem Plato in ſexto de Republi. ideam appellat boni. In epiſtolis verò bonorum, boni quidem, id eſt ſuiipſius, bonorum quoque quæ ab ipſo proficiſcuntur. Tertiò in gradu ponatur diuina quædam mens quaſi lumen de luce manans, multiformíſque, vt ita loquar, ideas in ſe concipiens duplici quodam ſupernæ lucis, ideæq; vnius diuinæ fomento: non aliter quàm in lumine multi iam radij ex vno lucis radio deriuantur. Non ſolùm verò in hac mente rerū comprehenduntur ideæ quaſi fonte: ſed & ad hanc multi mentiū reducuntur exercitus quaſi ducem: ab eadem videlicet diuina luce, à qua & ipſa æquè proſilientes. Totum verò id genus mūdus ſuperior nominatur: ſed quatum ad mentes ſpectat ſequentes, intellectualis mundus: quantum verò ad ducē, intelligibilis. Sed ipſa quoq; mens dux mentiū, partim quidem intellectus, partim intelligibile nominatur. Intellectus quidē quà rationibus rerū diſcernendis incumbit. Intelligibile verò, quà rationes eiuſmodi in ſuis continentur ideis. Idea deniq; boni nō modò ſuper intellectum ſed etiam ſuper intelligibile regnat. Poſt archetypum hunc mundū quarto gradu ſequatur corporei mundi anima: Mundus iā rationalis ex intellectuali mūdo progenitus quaſi ſplendor ex lumine. Et ſicut ſplendor iam motui permiſcetur, ſic anima immobilium idearum rationes mobili quodam pacto attingit atque percurrit. Quintus huic ſuccedat gradus, ipſa videlicet natura rerum, mundus iam ſeminarius, ex rationali animę mundo, quaſi calor ſplendore reſultans. Sexto tandē gradu mundus hic corporeus collocetur, ex ſeminario ita proximè ductus, ſicut rerum generatio ex calore. At ſi cæteris omiſſis aptius cōparare volueris, cogitabis in architecto quodā ſapientiſſimo vim primo bonitatémq; naturalem. Deinde geometricū contemplatorémq; intellectū, communes rationes menſurarū habētē. Tertio rationē, vt aiunt, practicā iam per rationes ipſas de artificio cōſultantem. Quartò imaginationem figuras iam & modos conducentes operi effingentem. Quintò affectum. Sexto mouendi virtutem. In eiuſmodi verò comparationibus videbis effectus multò magis ab antecedentibus fieri quàm ſequentibus.

SINGVLI ORDINES AD SINgula capita reducuntur, vniuerſus ordo ad vniuerſale caput, à quo omnia componuntur ex actu & potentia.

CAPVT. XI.

Neque verò latere nos debet propria rerū genera ad capita propria, vniuerſum genus ad vniuerſum caput oportere referri. Cūcta enim mūdi corpora ad corpus vnū: Naturę omnes ad vnā quoq; naturā: Animæ ad animam: Mentes ad mentē: ad bonū deniq; bona, & quia bona, ideò cuncta. Sic vtiq; omnia cōuerſione quadā naturali bonū appetūt tanquā finē: quoniam ab ipſo bono, communi quadā proceſſione tanquam principio prouenerunt: atq; adeò cuncta ipſum appetunt, vt materia infima appetat appetitu nō infimo. Perpetuò ſiquidē in omnib generādis ad ipſam boni vergit ſimilitudinē: vt appareat hanc à bono pēdere. A bono inquā potius, quàm à mente. Quippe cum mentis actio quæ per formas fit ideales, terminetur ad formas. Actio verò boni, vtpote āpliſſima, vltra formas deſcēdat etiā in materiā, efficiátq; bonorū auidā & capacē. Sed quā nunc voco materiā, Plato in Philebo latiori nomine infinitudinē nuncupat, dicēs ipſum bonū proximè infinitudinē ac terminū peperiſſe, ſtatimq; inuicē miſcuiſſe, atq; ex hac mixtione cuncta cōpoſuiſſe, id eſt ex potentia quadā formabili & accedētes forma. Potentiā enim formabilē quaſi ex ſe nodū definitā nec perfectā vocat infinitudinē. Formā verò huic adhibitā nominat terminū, quòd videlicet indefinitā potentiā definiat, & in ſpecie iam optata perficiat. Ex his ergo duobus & intelligibilē mundū proximè à Deo volūt eſſe cōflatū: & ſenſibilē deinde ab intelligibili ex eiſdē vel ſimilibus conſtitutū. Ita vt intellectus ille proximus mūdi viſibilis architectus, materiā acceperit ab ipſo bono quodāmodo ſpiritalē: ſed iam iā ſub ſe in dimenſionē modis degenerantē, informēq; & vacuā: ac ſi forſan ex ſe moueatur, abſq; ordine nutaturam: ſed per idearū ordinē ab eodē bono ſuſceptū, formauerit eā, redegeritq; in ordinē: antequàm extra ordinē vagaretur. Præſertim cùm animā ipſi rationalē in primis infuderit, motionis ordinatiſſimæ dominam. Non ſolùm verò materiam per ſe informē fore, ſed animam quoq; fore informem inquit, niſi Deus vtranque formet. Quod verò eſt in materia corporalis ſpecies, id ratio eſt intelligētiaq; in anima: quaſi caruerit, materiā inordinatè mouebit. Quo autem id exprimeret, materiam cōſiderauit in formam & animam rationalem: viditq; motum inde ſine ordine prouenturum.

MATERIAM NON FVISSE inordinatam ante mundum tempore, ſed quadam ordinis ratione.

CAP. XII.

Ex his omnibus colligere poſſumus materiā non eſſe æqualē mūdi fabro, non eſſe ante mūdum vllo temporis interuallo, licet origine quadam & ordine: non iactari inordinatè ante ordinem, ſed erraturam fuiſſe procul ab ordine, quantum in ſe eſt, niſi ſtatim deſuper ordinata fuiſſet. At ne quis hunc loquendi modum improbet in Platone fingente materiam ante mūdum inordinatè iactatā, audiat & Moyſen antę mundi diſtinctionem dicētem terram fuiſſe inanem & incompoſitā, & ſuper faciem abyſſi tenebras extitiſſe. Mitto in præſentia poeticum chaos. Adducere iuuat in medium Philonem Iudæum ſimilibus verbis Moyſis Geneſim exponentem. Si quis cauſam quare vniuerſum hoc creatum ſit, velit exquirere, non errabit meo iudicio, ſi id exiſtimabit quod quidam ex veteribus protulit: bonum eſſe creatorē ipſum & genitorem, & autorē vniuerſi: & bonitatis ſuæ gratia nulli ſubſtantiæ inuidiſſe, quæ ſua natura nihil boni haberet, & tamen fieri omnia poſſet. Erat enim ſua ipſius natura inordinata, informis, inanimata, omnino varia, incongrua, inconcinna, inconſtans, apta quæ in contrarium mutaretur, & optimarum rerum rationem ſuſciperet, formæ videlicet, animationis, ſimilitudinis, congruitatis, concinnitatis: omnium denique rerum ideæ melioris. Item in ſecundo eiuſdem libri volumine, Cùm, inquit, creator ſubſtantiam inordinatam & natura ſua confuſam in ordinem ex inordinatione, & in diſcretionem ex confuſione traducta formare cœpiſſet: terram atque aquam medio loco firmauit. Hæc Philo. Proinde ſi gradus rerū ſex in ſuperioribus adductos conſideraueris, perſpicies fortè quā ſimilis ſit Plato Moyſi, ſex diebus mundi Geneſim abſoluenti: quàm ſimilis & Pythagoras, probans ſenarium numerum Geneſi nuptiiſq; prorſus accommodari. vnde & Gamon appellat: propterea quod partes ſuæ iuxtà poſitæ ipſum gignāt, ſimilémque reddant genitū genitori.

DVPLEX OPINIO DE ORIgine mundi. CAP. XIII.

Si quis interroget nūquid apud Platonem mundus fuerit ſempiternus: Reſpondeo equidem interpretibus Seuero & Attico, & Plutarcho, aliiſque vt Proclus narrat multis, nō fuiſſe ſemper. Sed interpretantibus Crantore, Plotino, Porphyrio, Iāblicho, Proclo & pleriſque aliis, ſemper quidē fuiſſe, & fuiſſe ſemper à Deo, imò fluxiſſe. Deū enim ſemper eſſe aiūt. Mundum verò fieri ſemper, & fluere. Ac ſi initio tēporis carentē cōſideraueris, ingenitū dici mundū: ſin autē perpetuum à Deo eius effluxū, aſſiduè genitum: neque minus ex Deo pendere, ſi dependerit pendeátq; ſemper, quàm ſi aliquādo cœperit depēdere, vel deſinat. Quēadmodū lumē nō minus à ſole ducit originē, neq; minus ſeruit ſoli, ſi ſēper, quàm ſi aliquādo ꝑfluxerit, effluatq; à ſole.

TRIPLEX CONIECTVRA Platonicæ opinionis de mundo, & quæ ſit certitudo ſententiæ Platonicæ de mundo. CAP. XIIII.

Cæterùm in rebus Platonicis, vel coniectura incedimus, vel ſcientia. Quantum ad coniecturam ſpectat, ita & ipſe loquitur, & ſui diſputant, vt opinionem eius de origine mundi in tria capita colligere liceat. Aut enim putauit materiã aliquando ex nihilo à Deo creatam, ſimulq; formatam tempore. Quamuis in hoc opere quod cõponitur ex materia, ſecundum quendam productionis ordinem materia ipſa prius cogitetur quàm formari: eſſe materiam prius quàm eſſe formatã: atq; ante opus ex materia factũ materia quæri ſoleat ex qua fuerat opus conficiẽdũ. Aut Deum materiam non aliquando nouam peperiſſe, ſed ab æterno: ſimiliterq; ornaſſe: quãuis inordinata priusquã ordinata fingatur: ſiquidem natura ſua caret ordine: quẽ expectat ab alio. cùmq; res quælibet prius cogitetur ſecundum id quod eſt quàm ſecundũ id quod accipit, meritò ſeorſum ab ordine poteſt ipſo in ſe ex ordine expers excogitari. Aut, vt dixi, materiã ſemper à Deo fuiſſe, atq; continuè: ſed non cõtinuè ordinatam, imò per tẽporũ interualla, ita vt Dei ſit ſtabiliter ordinare: materiæ verò ordinari mobiliter: accipiátq; temporalẽ ordinis ſui tẽperationẽ, non aliter quã à fabro accipit horologium: peractíſq; pro natura ſua certis tẽporũ interuallis amittat ordinem paulatim ac deniq; totũ, redeátq; in Chaos: ſed Deus ſubitò extremã cõfuſionẽ minimè tolerãs in priorem diſpoſitionem vnico nutu retẽperet, idque fiat infinitè viciſſim, nũquam mutato Deo, infinitè reformata materia. Hactenus humana in Platonicis præceſſerit coniectura. Quantum verò habemus ſcientia, affirmamus Platonẽ noſtrum affirmauiſſe Mundũ non ex ſe exiſtere, ſed ex cauſa: non quidẽ fortuita, ſed ex certa: non ex naturali dũtaxat cauſa, ſed intellectuali: non ex intellectu per modum naturæ determinato, ſed potius volũtario, nõ volũtate ex naturali quodã inſtinctu copulſa, ſed libera. Nihil enim magis liberũ quàm quod per ſe eſt, & per ſe agit omnino: neque tamẽ contingente aliqua volũtate. Nihil enim cõtingẽs, vbi idẽ eſt volũtas atq; neceſſitas. Nihil iterum violentum, vbi idem eſt viciſſim neceſſitas & voluntas. Vt autem id aperiret, non minus replicauit in fabricando mundo voluntatis diuinæ quàm intelligentiæ nomen. Atque addidit, ipſam voluntatem boni eſſe ſummam cauſam: & certiſſimam cauſarum. Quam ex eo oſtendit liberã eſſe, quòd ſæpe ait Deum architecti more conſultauiſſe, atq; deliberauiſſe de opere conſtruendo: quibus in verbis non ambigentem intelligi Deum vult, ſed liberè eligentem. Proinde mundanum opus non ſemel tantũ proceſſiſſe inquit à Deo, ſed procedere ſeruariq; aſſiduè. Quinetiã ſuprema mundi numina vnà cum mundo ex ſeipſis diſſolubilia fore, niſi diuina volũtate regantur. Satis ergo fuerit, & id quidem quàm maximum, talia de affirmãte philoſopho affirmaſſe. His enim conceſſis facilè poteris Deum dicere, quando prouidente & libera efficit voluntate, mundum abſq; nouitate ſui nouũ compoſuiſſe. Ac ſi audieris non aliquãdo nouum, ſed ab æuo potius edidiſſe: poteris maieſtatẽ ſimul ſuã ſeruare Deo. cuius voluntate, & hac quidẽ libera, mundus non minus eget, & pendet, ſi eget pendétq; ſemper, quã ſi quandoq; proceſſerit. Quoniã verò Plato ſæpe ait, eatenus de diuinis aſſeuerandum, quatenus diuinis oraculis comprobetur: & nos ſacris literis potius quàm coniecturis noſtris aſſentire debemus.

MVNDVS BONI GRATIA procreatus ad diuinæ rationis verbiq; diuini ſimilitudinem. CAP. XV.

Mundum ergo fecit voluntate, id eſt bonitate ſua, tam voluntariè quàm naturaliter ob immenſam fœcunditatem exuberante, quæ primùm quidem ſeipſa gaudet, ob idque deinde ſua hac delectatur imagine: ita tamen, vt non in hac imagine, ſed in ipſo exemplari, atque principio delectationis huius conſtituat finem. Quoniam igitur bonitate fecit mundum: idcirco boni gratia fecit ipſum. non enim vt eſſet, viueret intelligeret ſimpliciter, procreauit: ſed vt & bene eſſet, viuerétque & bonum intelligeret atque compararet. Id illi Moſaico valdè conſonat. Vidit Deus hoc & illud eſſe bonum: & cuncta valdè bona. Et quia pulchritudo ſplendor eſt bonitatis, ideò ſubdit ab optimo Deo mundum eſſe pulcherrimum procreatum: temporalem quidem, ſed ad æterni exemplaris imaginem. Dicet & ſæpe, quot ſpecies ſunt in archetypo, id eſt principali mundo, id eſt intelligibiles atque imitabiles, totidem rerum formas in hoc mundo diſpoſuiſſe, atq; ita ſibi ſimilem effeciſſe: vt pote qui intelligat ideas rerum non inter nubes, vt maledici quidam calũniantur: ſed in mundani architecti mente conſiſtere. Vbi verò ait in ipſa vita ideas eſſe, vaticinari videtur euangelicum illud: Quod factum eſt in ipſo vita erat. Et vbi ait repetitq; ſæpe mundum diuina prouidentia conſtitutum, totam confirmat religionẽ. Quod quidem cùm obſeruaſſet Theophraſtus tanquam in philoſopho mirum, ait, Plato ſolus, vel certè maximè omniũ, à diuina prouidentia rerum cauſas aſſignauit. Sed, ò Theophraſte, quæcunq; id mente de Platone dicas, proculdubio confiteberis Platonem ſolum vel omnium maximè prouidentem atq; diuinum.

CVR MVNDVS EST VNVS & ſphæricus, & moueatur in ſphæram. CAP. XVI.

Oſtendit verò deinceps diuinũ ipſum mũdi exemplar, quod euangeliſta, ſed diuiniore ſenſu diuinũ appellat verbũ, eſſe vnicũ: quia quòd cõtineat omnia, nihil relinquat extra ſeipſum: ideóque ſit neceſſariò vnicũ. Sed de hoc ipſo in Theologia diffuſius. Cùm autẽ mundus hic in cæteris quoad fieri potuit, mũdum intellectúmq; diuinũ referat: adeò vt qui formas in hac materia cõſpicit, quaſi diuinũ vultum cõtueatur in ſpeculo: certè in ipſa etiam vnitate omniũ effectrice atq; ſeruatrice repræſentat illũ: vt architecti vnius vnũ ſit opus. Vnus igitur dei vnius eſt mũdus. Profectò ſi poſſet architectus humanus dominari materiæ, poſtquã plura ædificia effeciſſet, quorũ quodlibet in ſe ſit vnum, cuncta vno quodã tandem circũuallaret: Deus autẽ poteſt omnino, cùm ſit materiæ dominus. Neq; ſomniare licet mũdos plures quaſi pilas, alios extra alios. Sic enim diuinũ opus diſſipatũ foret: atq; inter mundos ſpatia vacua forẽt. Probabilius exiſtimabis, ſi quot orbes fingis per vacuũ ſparſos, tot excogites ſphæras potius intra ſphæras, vt quælibet ſphæra ſit mũdus in mundo: vniuerſumq; opus vnũ ſit, atq; inuicẽ ordinatũ: nihilq; vel vacuũ, vel ordinis vnioniſq; expers reperiatur. Sit autẽ figura mũdi ſphærica. Sic enim eſt maximè vniformis, capax, indiſſipabilis, agilis: atq; ita nec aliter poteſt moles in mole, & ſine vacuo collocari, & ſine offenſione moueri: id eſt, ſi non quadrata quadratis, aut circulis, ſed orbes orbibus inſerãtur. Deniq; præcipua mũdanæ huius ſphæræ cauſa eſt: ꝙ & orbicularis eſt diuini mũdi natura: quę in ſeipsã intelligẽdo & amãdo reflectitur. Motionis verò ſphæricæ ratio eſt tũ figura ipſa quę motũ recipit: tũ mũdanæ ipſius animę quę mouet, intima ꝑ intellectuales ſpecies reuolutio.

CVR MVNDVS DIVIDATVR, vel in quinq; vel in ſex plagas: & quomodo ei conueniat ſeptenarius, & numerus circularis: & quomodo diſtribuatur ad intelligibilis mũdi ſimilitudinem. CAP. XVII.

Quamobrem mũdanæ diuiſioni nõ iniuria accõmodãtur numeri: in quibus radices primæ ſunt circulariũ numerorũ: Quinarius videlicet ex imparibus: ex paribus verò ſenarius. Dicimus autem numerum vigintiquinque ex quinario in circuli morem multiplicari: quoniã ab eodem quodammodo redeatur in idem: dum quinquies quinq; cõputantur vigintiquinque. Item ſimili circulo numerũ centum vigintiquinque. Quinquies enim vigintiquinque tot conficiunt. Eadẽ eſt ad triginta ſex, itémq; ad ducendos ſexdecim, circularis ſenarij ratio. Sexies enim ſex implet ſex atque triginta. Item ſexies triginta ſex ducẽtos implet & ſexdecim. Et ſi ſuperiores numeros ratione ortus ſui alios quadratos, alios oblongos nominãt: tamen ratione caſus atq; finis nũcupant circulares. Itaq; per quinarium & ſenariũ radices primas circulariũ numerorum, mũdi corpus circulare diuidimus. Primò quidem in partes quinque, ſcilicet ignem cæleſtem: ignẽ æthereum ſub luna, aerem, aquam, terram. Quæ quidẽ diuiſio in Epinomide cõprobatur. Deinde diſtribuimus per ſenarium: vbi cæleſtem ignem in non erraticum diuidimus & erraticum: Quæ partitio à Platone frequẽtius vſurpatur. Verùm ſenſibilis mundi diſtributionẽ ab ipſa exemplaris ſui diſtributione commodius hũc in modũ more Platonico deducemus. Excogitat quidẽ Deus in mundo penes ipſum intelligibili alteram quidem vim formabilem, alterã formatricem. Illam, vt dixi, infinitudinẽ: hanc terminum Pythagorici & Platonici nominant. Excogitat & mutuã harum viriũ mixtionẽ: intelligitq; tertiã quandã ex hac mixtiõe formã protinus coaleſcere. Sed & hãc ipsã formã quaſi triplicem animaduertit habere nonnihil infinitudinis: nonnihil & termini: nonnihil & proprij. Quo fit, poſt binarium numerum, infinitatis ſcilicet atque termini, ternarius e veſtigiò ſurgat, addita his tertia forma. Surgat quoque quinarius, eiuſmodi forma tripliciter diſtributa. Senarius denique naſcitur, vbi mundi illius manus ad inferiora producenda porrigitur. Naſcitur & ſeptenarius, vbi mũdus ille velut imago refertur ad patrem. In quo quidem gradu ſeptimo quaſi die ſeptimo conquieſcat. Si verò reddideris ſingula ſingulis, animaduertes corporeum hunc mundum ab ipſo ſuperni mundi termino ceu formam habere ignem: ab infinitudine verò ceu materiam habere terram. A media verò illius formæ humorem ignis terræque conciliatorem: qui & conglutinet terram, natura propria diſſipabilem: & nutriat ignem ex ſe facilè reſolubilem: & tria quædam in ſeipſo poſſideat: hinc quidem igneum: inde verò terreum: ſed nonnihil in medio proprium parumq; aereum: cùm aliunde per ſublime vergat ad ignem: aliunde per infimum vergat ad terram. Poſt hunc mundi quinarium fit ſenarius: ſi communem cunctorum excogitaueris formam. Fit iterũ ſeptenarius: ſi hanc ipſam mũdi formã reformaueris exemplari: in quo quidem die ſeptimo cõquieſcat.

QVARE SINT IN MVNDO partes diſtinctæ, & quare contrariæ, & de quatuor elementis. CAP. XVIII

Non ſolùm verò diſtinctionẽ formarum, ſed etiam repugnantiã videmus in mundo, procedit enim à primo, & procedendo degenerat. Proceſſio quidem diſtinctionem facit: degeneratio repugnantiam. Quinimò diuiſionis ipſius origo eſt fœcunditas cauſæ foras exuberantis, ſeque propagantis in amplum. procedente verò per gradus multos diuiſione, in repugnantiam denique peruenitur: præſertim quum mundi materia ob imbecillitatem nequeat ita inuicem formas conciliare, vt mundus ille ſuperior in ſeipſo conciliat. Quo factũ eſt, vt Deus materiã dimenſione protenderit: vt repugnaturas inter ſe formas hoſpitiis diuerſis exciperet. Denique quũ & illa dicamus inter ſe contraria, quæ in eodem genere maximè diſtant: & illa diuerſa, quæ inter ſe generibus ſeparãtur, ex eo quidem quòd contraria ſunt in mũdo, apparet genus quodlibet ſpecies habere quàm plurimas: ex eo autem quòd diuerſa, coſtat vniuerſum genera poſſidere permulta. Quoniam verò & ſpecies omnes ad genera, & genera ad vniuerſum, communémque eius formam denique reducuntur, concluditur, ſicut ſuperior mundus vniformis eſt atque omniformis, ita hunc omniformem eſſe atq; vniformem. Conducit autem contraria elementorũ cælorumq; qualitas & figura, ad nouas formas quotidie generandas: conferente videlicet motione. Siue enim vnicum fuerit elementum, nihil vtique generabitur: quod & Hippocrates aſſerit. Siue plura inter ſe ſimilia, noui nihil efficietur: quod probat Heraclitus. Oportet tamen hunc mundum perpetua nouarum generatione formarum æternam ſuperioris omniformiſq; mundi actionem pro viribus imitari. Eſto itaq;, vt poeſis canit Empedoclis, contraria inter ſe elementa. Eſto & inter contraria medium: quando contraria & maximè diſtant, & abſq; medio minimè congruunt. At medium hoc indiuiſibile eſſe nequit. alioquin per ipſum contraria non diſtabũt. habet ergo dimenſionem. Sed qua parte alterum tangit, non tangit alterum. Et habet inſuper partem neceſſariò mediam, per quam æquè diſcrepet ab extremis. Propterea Plato inter contraria ſemper media ſaltẽ interſerit duo: quemadmodum ex verbis eius euidenter apparet. Interſerit & tertium: vbi ait, medium vim habere per quam non ſolùm extremorum, ſed ſuam quoq; cuſtodiat vnionem. Sed ponat manifeſtè duo, neq; enim nunc id contendimus: ceu inter ignem & terram, duo quædam: aerem ſcilicet atq; aquam. Opus autem eſſe duobus ſaltem mediis inter contraria omnino corpora, oſtendit ex numeris atque dimenſionibus, quæ naturalia corpora quodammodo antecedunt.

NVMERI LINEARES, PLANI, ſolidi, & quare inter planos vnum ſufficit medium: ſed inter ſolidos non ſatis facit. Et quomodo mathematicæ rationes ad Phyſicas referantur. CAP. XIX.

Triplices eſſe numeros apud Pythagoricos alibi declarauimus, Lineares, Planos, Solidos. Lineares quidem quos ſola metitur vnitas quaſi punctũ: vt Binarius, Ternarius, Quinarius, Septenarius, atq; ſimiles. Planos autẽ qui multiplicãtur ex numeris quaſi lateribus. Ceu ſenarius ex bis tribus fit, ter ve duobus. Atqui ex planorũ numero eos quadrãgulos, & æquilateres appellamus, qui ex numeri alicuius in ſeipſũ ductu conficiuntur. Ceu quaternarius ex bis duobus, & nouenarius ex ter tribus, & ſedecim ex quater quatuor. Inæquilateres autẽ, qui ex ductu minoris numeri in maiorẽ: qualis fit ſenarius ex duorũ in tria deductione. Dicimus & oblongos: qui ex ductu numeri admodũ minoris, in numerũ longè maiorẽ conficiũtur: qualis eſt denarius ex deductione duorũ in quinq; reſultans. Siquidem ex bis quinq; fit decem. Hunc ſi in decimo de Repub. appellauimus quodammodo linearem intelligi volebamus oblongũ. Præter hos autem, eos ſolidos dicebamus, qui ex deductione atq; reductione numeri alicuius in ſeipſum efficiuntur, inſtar molis ſolidæ in trinã, quaſi producti dimenſionẽ: vt bis duo bis, octo. Ter tria ter, vigintiſeptẽ. Quater quatuor quater, ſexaginta quatuor. Accipe duos planorum primos: qui videlicet à primis linearibus procreãtur: vt puta hinc quidem quaternarium à binario: inde verò nouenarium à ternario procreatum. Hos ſanè planos duos, nouenariũ ſcilicet atque quaternarium, poteris vnico competẽti medio inuicem deuincire: hoc eſt ſenario. Quæ enim proportio eſt nouem ad ſex, eadẽ ſex erit ad quatuor. vtrobique enim eſt proportio ſeſquialtera. ſiquidem nouem continet ſex: & inſuper alteram eius partẽ, id eſt ternarium. Similiter ſex comprehendit quatuor, atq; inſuper binarium, alterã, id eſt dimidiam quaternarij partem. Senarium verò eſſe competens medium inde patet, quod ex vtriſque componitur. Latus enim quaternarij quidẽ eſt binarius: nouenarij verò ternarius. Ex multiplicatione autem binarij in ternariũ fit ſenarius. Similiter ſi acceperis vltra nouem alium quadratũ ſcilicet ſedecim: medius erit duodecim: qui ex lateribus horũ naſcitur. Latus enim nouenarij quidẽ tria: ſedecim verò quatuor. At ſi tria ducas in quatuor, duodecim reportabis: qui horũ medius pari vtrunq; ratione connectit, ſeſquialtera videlicet ratione. Nam ſedecim comprehẽdit duodecim, ac tertiam ſuper eius partem. Similiter duodecim vltra nouẽ includit tertiam nouenarij portionẽ. Cernis itaq; quod inquit Plato: planos numeros vnico poſſe medio colligari. Accipe præterea numeros ſolidorũ primos: eos inquã qui primi ex primis efficiuntur linearibus in ſe ductis atque reductis: hinc quidem octo à binario: inde verò vigintiſeptem à ternario procreatum. Hos vtique non poteris vnico inuicem medio copulare: ſed cogeris duo ſaltem accipere media, ſcilicet duodecim, atque decem & octo. Accipies enim duodecim ex bis duo ter: decem verò & octo ex ter tria bis: pérque hos numeros conciliabis extremos ſeſquialtera ratione. Nempe vigintiſeptem numerus, decem & octo complectitur: & alterã rurſus eius partem, id eſt, nouem, ſimiliter decem & octo exuperat duodecim. Item duodecim æqualiter excedit octo. Per hæc perſpicuum eſt, ſolidos numeros pluribus ſemper quibus cõgruè copulẽtur, mediis indigere. Quod autẽ expoſuimus in numeris, idem poſſumus in dimenſionibus tum planis, tum ſolidis demonſtrare, oſtendentes inter plana comparabilia inuicem vnum ſæpe ſufficere medium: inter ſolida verò comparabilia, plura verò media eſſe ponenda. Quod quidẽ & prolixum nimis foret, & ſatis iam à Iamblico, & Proculo, & Chalcidio eſt oſtenſum. Quoniã verò Plato mathematica hæc non propter ſeipſa quidem, ſed propter naturalia hic accepit: his prætermiſſis cõſideremus breuiter quæ potiſſimum naturæ myſteria per mathematicas imagines ſubintelligat. Principiò quod in ſacris literis legitur, Deũ omnia in numero, menſura, pondere perfeciſſe, manifeſtè tangitur à Platone, numeros, menſuras, ſolida in mediũ adducente. Per ſolida enim comprehendit & pondera, quæ etiam ſignificat vbi poſt dimẽſiones cõmemorat vires inclinationum, quaſi ponderum cauſas. Per numeros quidem intelligi vult ipſas rerum naturalium ſpecies formaſque ſubſtantiales, quas etiam Ariſtoteles numeris comparauit. Per menſuras autem certas inſtrumentaléſq; figuras, vel magnitudines ſpeciebus certis accõmodatas. Per ſolida deniq; atq; vires, ſignificat qualitates, & quę cum molibus penitus protenduntur, & præſtant motionibus actionibúſq; momentũ. Indicant autem omnes in vniuerſo, tũ rerũ ſpecies, tum ſpecierũ figuras magnitudinéſq;, tũ qualitates, geometrica inuicem & muſica proportione compoſitas: vt qua ratione infimæ à mediis eadẽ media à ſuperioribus excedantur. Item per numeros deſignat medium arithmeticum. quod numerorum paritate conſiſtit. Per dimenſiones atq; menſuras mediũ geometricum, quod in rationis proportioniſq; idẽtitate locatur. Per pondera & vires, mediũ muſicum: quod in portionis æqualitate vel ſimilitudine ſitum, velocitatem, tarditatémq; motionum, & acumen grauitatémque vocum virtute comprehendit.

PRIMA DISCVSSIO, QVARE quaternarius elementorum numerus mundo conueniat.

CAP. XX.

SEd de his alibi latiùs. Iam verò ad partitionem mundanarũ partium reuertamur, quò harmonicam ipſam compoſitionẽ conſpicere valeamus. In ſuperioribus quidem quinarium, & ſenarium circulari mundi figuræ congruere dicebamus. Nunc inſuper quaternarium eiuſdem plenitudini dicimus conuenire. Profectò quaternarius primus implet omnem differentiam numerorum: primum parem ac primum imparem in ſe complectens. Implet & ſimplicem numerorum progreſſionem, quandò terminis quatuor explet denarium, vno, duobus, tribus, quatuor denariũ perfectè conſummans. Implet proceſſum quoq; dimẽſionum, terminis videlicet quatuor aſſequens, ſigno, longitudine, latitudine, atq; profundo. Implet muſicam conſonantiam. Nẽpe intra quaternarij limites dupla, tripla, quadrupla, ſeſquialtera, ſeſquitertia, diapaſon, diſdiapaſon, diapẽte, diateſſaron, coercẽtur. Implet natura ad quatuor vſq; terminos procedentẽ, ſubſtantia, quãtitate, qualitate, motu. Implet deniq; vniuerſum, ſiue quod in natura, ſiue quod ſupra naturã, eſſentia, eſſe, virtute, atq; actione. Meritò igitur Pythagorici quatrinitate plenitudinem mundani, tum corporis, tum animi deſignabant, eamq́; iureiurando teſtabantur naturæ perpetuò fluentis fontem eſſe quadruplicem. Ex hoc nimirũ fonte manat quaternarius elementorũ numerus. Hinc quadruplicitas in cælo quadruplex. Hinc ſub cælo tempora quatuor. Hinc ſub tempore, quatuor humores, complexiones, affectus. Hinc ſuper tempus quatuor virtutes ſurgunt. Hinc in æternitate quatuor exempla virtutum.

SECVNDA AD IDEM PRObandum diſcuſſio.

CAP. XXI.

PRæterea niſi vererer partim prolixitatẽ, partim etiam nouitatem, recenſerẽ mira quædam Iamblichi & Syriani, Procliq; cõmenta. gradus quatuor ſuper mundũ ſuperum conſtituentium, ſcilicet vnum, terminum, infinitudinem, mixtionem. Proinde ſupernum mundũ, id eſt primam intelligibilémq; mentẽ poſt eam potentiã mentem mundúmq; partim intelligibilẽ, partim quoq; intellectualem: poſt hanc intellectualem: ſimpliciter mentem atque mundũ. Quarto verò loco mentẽ iam mundúmq; animalem, ſenſibilis mundi ducem. Hĩc ſupremam mentem & ſuſpicere quatuor illa, vnum ſcilicet, terminúmq;, & infinitatem, atq; mixtionẽ, & habere ſuapte natura quatuor: videlicet hinc quidem vnitatẽ, inde verò eſſentiam. Rurſus vnitatem eſſentialẽ, & eſſentiam vniformẽ, atq; omnes omnino rerum ideas quadruplicis ſimiliter naturæ participes. Item mentẽ ipſam intellectualem iouialémq; mundi opificem in fabricando mundo ſuſpicere in mentẽ intelligibilem atq; ſupremã velut exemplar, & in bonum veluti finem. Et qua ratione in mundo intelligibili, quod & ipſũ ens ipſumq; viuens nominant principia & ideas ſuſcipit naturæ quadruplicis, in quatuor ſimiliter plagas digerere mundũ. Quarum prima à primo cælo, póſtq; cælũ per ignis ſphærã vſq; ad aeris principiũ protendatur: Secunda inde ad aerem vſq; medium: Tertia inde ad terrã: Quarta verò ſit terra: atque huiuſmodi partitioni quatuor in qualibet plaga reſpondeant exercitus rationaliũ habitantium, deorum ſcilicet mundanorum, item angelorum, deinde dæmonum, poſtremò particularium animarum. Sed his omiſſis ad inſtitutum noſtrum regrediamur.

TERTIA AD IDEM CONfirmandum diſcuſſio.

CAP. XXII.

QVatuor apud metaphyſicũ ſunt elemẽta; eſſentia, eſſe, virtus, & actio. Quatuor apud mathematicũ, ſignum, linea, planũ, atq; profundũ. Quatuor apud phyſicum, ſeminaria naturę virtus, pullulatio naturalis, & adulta forma, atq; cõpoſitũ. Redde verò ſingula ſingulis. Eſſentiæ quidẽ ſignum atq; ſemen, ipſi verò eſſe lineam pullulationẽmq;, virtuti planũ atq; formã, actioni profundũ atq; cõpoſitũ. & vbiq; extrema velut ſolida duobus concilia mediis. Manifeſtè verò quod in mathematicis ſignũ eſt, Plato in Phyſicis virtutẽ ſeminariã indiuiduamq́; & ſtabilem eſſe putat. Quod autẽ in mathematicis linearis in longũ productio, id in Phyſicis germinantis formæ pullulationẽ, vt ita loquar, exiſtimat. Item quod ibi planum, hic propriè formã: vt enim planicies corpus terminat, ita forma materiã. deniq; quod ibi profundũ, hic eſt compoſitũ: cõpoſitum inquã duplex, tũ formale, id eſt, ex pluribus formis cõplexio quædã ſphæræ ſolidæ ſimilis, tum materiale, id eſt, ex forma atq; materia, cubo ſimilior. Quod ergo ait inter duo plana vnum ſufficere mediũ intellige inter duas formas medium vnicũ ſatisfacere, id eſt, formale. Formæ enim cum formis deinceps vbi per extrema ſui ſeſe contingunt, vno quodam formali medio congruunt, vtrinque partim quidem conueniente, partim etiam differente. At verò quod inquit, ſolida ſolidis medio duplici copulari, ſignificat inter compoſita naturalia duo diuerſæ naturæ gemina media interponi. Quorum alterum quidem formale ſit, alterũ verò materiale. In quolibet enim compoſito, hinc principalis forma, inde accommodatum formæ ſubiectum cõſideratur. Hinc efficitur vt inter diuerſa compoſita conſurgat diſcrepantia duplex: altera quidem magis ratione formæ, altera verò magis ratione ſubiecti.

QVARTA AD IDEM DISCUſſio, & de viribus proportionibúſque elementorum.

CAP. XXIII.

EAdem hæc alia inſuper ratione corroborantur, ſi à quatrinitatibus modò deſcriptis, ad quatrinitatem ſphæræ deſcendas. in hac vtique conſideratur & natura medij, conſideratur & natura circunferentię longiſſimè inter ſe diſtantes tã proprietate, quàm ſitu. Cõſideratur inſuper hinc quidem ſpatium, quatenus propria virtus centri porrigitur: inde verò ſpatium, quatenus propria magis circunferentiæ vis protenditur. Hinc quatuor computantur plagæ mundi, & quatuor ſimiliter elementa.

	A ſubſtantia,	A virtute,	Ab actione.
Ignis,	ſubtilis,	acutus,	mobilis.
Aer,	ſubtilis,	obtuſus,	mobilis.
Aqua,	craſſa,	obtuſa,	mobilis.
Terra,	craſſa,	obtuſa,	immobilis.

Alia poſitio earundem.

Ignis,	acutus,	ſubtilis,	mobilis.
Aer,	obtuſus,	ſubtilis,	mobilis.
Aqua,	obtuſa,	craſſa,	mobilis.
Terra,	obtuſa,	craſſa,	immobilis.

Quorum quod in circunferentia ponitur naturam eius ſequens, ampliſſimum eſt, ideóq; omnium ſubtiliſſimum per ſubſtantiam, per virtutem verò acutiſſimum, penetrationique aptiſſimum, per actionem deniq; promptiſſimũ eſt ad motũ. Quod autẽ ſitum eſt in medio, naturã quoq; ſequens medij, anguſtiſſimũ eſt, & denſiſſimũ per ſubſtantiam, per virtutem verò obtuſum, per actionẽ denique ad motum eſt, ineptiſſimũ. Media verò duo media in his modo ſe habẽt. Proinde ſicut maximè diſtant in ſphæra ambitus atque centrũ, ita per ſitum & naturã ignis terráque plurimũ diſcrepant. Ille enim ita petit ambitum, vt nunquam naturaliter medium: hæc ita centrum, vt nunquam naturaliter ambitum. Aer verò interdũ deſcendit, ſi videlicet in ſublimi ignis regione ponatur. Aqua etiam aſcendit, ſi ſub terram cohibeatur. Quemadmodum verò in igne & terra tria cõſiderantur, ſcilicet ſubſtãtia, virtus, actio: ſic & tres potiſſimũ proprietates, videlicet in igne quidem per ſubſtantiã craſſitudo, per virtutẽ acumen, per actionẽ mobilitas. In terra verò oppoſita, per ſubſtãtiã craſſitudo, per virtutẽ obtuſitas, per actionem immobilitas. Dicũtur autẽ horũ naturę apud Platonẽ ſolidæ, quia inſtar dimenſionis trinæ, trinas poſſident qualitates: quòd ſi duntaxat haberẽt planorũ inſtar, vnũ ſufficeret mediũ: quod videlicet in qualitate quidem vna congrueret cum extremis, in altera verò differret. At quoniam tres inuicem oppoſitas habent duobus, vt vinciantur opus eſt mediis: quorũ vtrunq; cum proximo quidẽ, tum extremo, tum medio duplici conueniat qualitate, in vnica diſcrepet: cum remoto verò extremo, in vna quidẽ cõgruat, ſed differat in duabus. Sic vtique ignẽ ſequitur aer, in ſubtilitate & mobilitate igni perſimilis: ſed quadam virtutis obtuſitate diſſimilis in qua etiã vnica quodammodo cum terra conſentit: cũ aqua verò duabus, ſcilicet obtuſitate atq; mobilitate. Aqua ſequitur aerẽ in duabus his aeri ſimilis: ſed vna ſimilis igni, ſcilicet mobilitate duntaxat: at diſſimilis igni duabus, craſſitudine obtuſitatéq;: ſimul diſſimilis terræ mobilitate quadã, ſed craſſitudine obtuſitatéq; ſimilis. Profectò & ignis ad terrã analogiã quãdã, id eſt rationis ſimilitudine atq; proportione cõparabilis ſit, apparet. Quẽadmodũ enim ſe habet ſubtilitas ignis ad terreã craſſitudinẽ: ſic ignis acumẽ ad obtuſitatẽ terræ: ſic iterũ ad immobilitatẽ terræ mobilitas ignis. Quòd etiã cõparabilis ſit, ſed potiori aliqua ratione, ignis ad aerẽ: aer ad aquã: aqua ad terrã: ex cõſtitione qualitatũ eſt manifeſtũ. videtur autẽ elementi proximi quidem ad proximum conuenientia ad diſcrepantiam eſſe dupla: ad remotum verò contrà, dupla eſſe ad cõuenientiam diſcrepantia.

Videtur

Videtur ignis aere duplo ſubtilior, triplo mobilior, quadruplo verò acutior. Itẽ aer aqua acutior, duplo, triplo mobilior, quadruplo eſſe ſubtilior. Rurſus aqua quàm terra acutior duplo, triplo ſubtilior, quadruplo ad motũ eſſe paratior. Procedere verò inter cognata ad quadruplã vſq; proportionem duntaxat apud muſicos eſt cõceſſum. Lõgiori enim progreſſione aures offenduntur. Quinetiã in his perfectæ rationes muſicæ cõtinẽtur. In his vtiq; per tres qualitates quaſi per trinas dimenſiones, & ſolida quædã, ter quoq; ſolidéq; ad ſolida vſq; procedimus. Nã per duplã quarto gradu ad octo peruenimus: qui primus eſt ſolidus. Itẽ per triplas quarto ſimiliter gradu ad viginti ſeptẽ: qui ſolidus eſt ſecundus. Rurſus per quadruplas rationes, quarto deniq; loco ad ſexaginta quatuor, qui tertium inter ſolidos numeros obtinet locũ. octo enim à binario ſolidè, id eſt, ter accepto, ſiue ducto: viginti ſeptẽ à ternario ducto ter: ſexaginta quatuor à quaternario: ſimiliter in ſeipſũ ter multiplicato creatur: Cæterum vt notũ ſit quãta apud Platonẽ cognitas mathematicis ineſt ad phyſica, repetenda ſunt duo illa primorũ media ſolidorũ. Poſuimus enim inter octo atq; viginti ſeptẽ cõpetentia media duo videlicet duodecim atq; decẽ & octo. Duodecim quidẽ numerus, tũ ex octo, tũ ex viginti ſeptẽ naſcitur. Latus ſiquidẽ ex quo multiplicatur octo, binarius eſt: Latus autem ex quo viginti ſeptem, eſt ternarius: ſed ex binario atq; ternario, ita fit duodenarius, ſi egeris bis duo ter: vbi duodenarius oriens duo ab octonario accipit latera: vnũ verò à viginti ſeptem. Itẽ ex binario atq; ternario ita fit decem & octo, ſi egeris ter tria bis: vbi decẽ & octo numerus naſcens, ab octonario quidẽ remoto latus accipit vnũ, vbi dicitur bis: ſed à nume. viginti ſeptẽ latera duo, vbi ter tria. Similiter elementa duo inter ignem terrámq; media: dũ ex extremis cõtẽperantur, interim à proximo quidẽ naturas reportant geminas, à remoto verò vnicam mutuantur.

QVOD TOTVS MVNDVS EX quatuor componitur elementis: & quomodo hæc alia ratione ſunt in cælo: aliter infra lunam.

CAP. XXIIII.

EX his quatuor elemẽtis geometrica & muſica inuicẽ ratione coniunctis, vniuerſum mundũ eſſe cõpoſitum Pythagorici Platonicíq; omnes exiſtimant: ita tamen, vt conſonantia horum in cælo nullam vnquam diſſonãtiam patiatur: ſub cælo autẽ, diſſonãtia quædã alicubi oriri videatur interdũ: ſed ſtatim per ſuperiorem cõcentũ in formã conſonantem mirabiliter redigãtur. Eſſe vtiq; elemẽta hæc ſub Luna, nemo negabit. Eſſe verò in cælo phyſici nulli negabunt. Sed iſti audiant metaphyſicos precor, probãtes elementa per ideas ſuas eſſe in ipſo mundi opifice: eſſe inde in anima mũdi per rationes ſuas: eſſe in natura per ſemina. Ergo & in cælo per virtutes: & ſub cælo per formas. Quo enim pacto à cauſis cælo ſuperioribus elemẽtorũ naturę trãſeũt infra cælũ: & ibi quidẽ protinus nutaturę, niſi vitutes horũ moderatrices cælo interim infundantur? Quinimo ſicut agricola quidẽ nõ regit architectũ, quoniam architecturæ nullas cõtinet rationes: geometra verò has poſſidẽs, regit illũ: ſic & cælũ niſi elemẽtorũ elementaliúmq; cõprehẽdat vires, hæc gubernabit nũquã: gubernãs verò cõplectitur: imò cõplectẽdo gubernat. Audiãt & aſtronomos tã in ſignis quàm in planetis naturas deſignantes elemẽtorũ & effectu probãtes. Audiant denique ſacras literas ponẽtes ſępe in cælis aquas: ponẽtes terrã quoq. viuẽtiũ. Quòd ſi duo hæc tibi cæleſtiũ diſſimiliora ponũtur: multò magis ignis & aer celeſtium ſimiliores ibidem à ſacris literis collocantur. Reſpondebunt vt arbitror, aliqui: vires illic quidem elementorum excellentiſſimas per modum cauſæ ponendas eſſe: in ſphæris autem elementorum ſub Luna naturas eorum ſecundum formam: in compoſitis tandem patricipatione quadam: ſed naturas ipſas elementorum in cælo eſſe negabunt. Ad hæc adducent Platonici virtutes vbiq. proprias in propria natura fundari. Itaq. ſi ſunt horum virtutes in cælo, eſſe quoque naturas. ſed quemadmodũ virtutes illic in genere quodã longè his excellentiores conſiſtũt: ita naturas in excellentiore: imò, vt rectius loquar, excellentiſſimo. Et natura illam ignis eminentiſſimã præbere cælo cenſibile lumẽ, viuificum calorẽ, motúmque promptiſſimũ. Naturam terræ largiri ſolidam firmámque ſtabilitatem. Item & ſtellis denſitudinem qua videri poſſint: & lunæ qua radios repellat ſolares. Naturã aeris præſtare perſpicuã qualitatẽ, quã nominat tranſlucentẽ. Naturã aquæ afferre delicatiſſimã, & æquabiliſſimam lenitatem. Et quod maximũ eſt, ipſis ſphærarũ labiis quibus ſe contingunt, inſerere virtutẽ illam frigoris & humoris: per quã fiat, vt quamuis ex velociſſimo motu rapidiſſimè & vehemẽtiſſimè ſe cotingant, æſtus tamen illic reſolutióq; non accedat. Has quidẽ in cælis aquas Hebræi valdè probabũt. Probabunt etiã, vt arbitror, ſi audierint per naturã illic terrę viuentiũ fieri, vt materiæ alioquin tenuiſſimæ ex tanto motu non diſſipẽtur. Meminiſſe oportet tantam eſſe in cæleſti ſubſtantia virtutẽ, támq; ad conciliandum efficacẽ, vt qualitates & motiones quæ apud nos ſunt inter ſe repugnantes, ibi non pugnent. Item vt reliqua illic elementa ſtatim à prima genitura mundi in formã pręſtatiſſimi, id eſt, ignis redacta fuerint: quemadmodũ per motum cæleſtẽ elementa quatuor apud nos in quauis genitura ad vnam reducuntur mixti formam. Neq; miraberis in vnum illic elementa conflari: ſi cogitabis etiam infra Lunã in vnam molẽ eſſe compacta, & ignem eſſe ſoliditatis terrenę participẽ, ne ob tenuiſſimã mobiliſſimámq; naturam cõtinuò diſpergatur: terram quoq; per ſe torpentẽ, ignis conſortio actionem vitámq; nanciſci. Quod ſi extrema miſcentur, nimirum & media mediis extremiſq; miſceri. Itẽ ſi tanta eſt infra Lunã vnio, ſuper Lunã eſſe multò maiorẽ: ſed terræ ſoliditatem ſine ſtabilitatẽ illic abſq; craſſitudine in vaporea quaſi forma regnare. Rurſus æqualitatẽ lenitatẽq; aquæ procul à lapſu: agilitatẽ aeris ab effluxu ſeorſum: efficaciã ignis in lumine ſalubriq; calore intelligẽtiæ vitæq; perſimili dominari, ſeorſum ab eo cõbuſtione ad quã efficiendã apud nos cogitur, tũ lumẽ inter concaua repercuſſum, tũ calor igneus aſpera quadam materia, & mordaci cõcluſus, qui certè quatenus à terrena craſſitudine ſoluitur, eatenus lucet purius, calétque ſalubrius. Ergo vnà cum Heraclito & Empedocle, dicemus ignis ipſius qui in idea eſt, intellectuale lumen, in cælo quidem viſibile lumen ad oculos emicare: ſub cælo autẽ in æthere puram ipſius & innoxiã vigere flammam; in terra verò carbonem in aſpera materia comburentem. Dicemus poſtremò cum Orpheo eſſe inſuper apud inferos quatuor elemẽta: Pyriphlegethontẽ, Acherontẽ, & Oceanum, & Cocytũ. Dicemus cum Platone: quemadmodũ in Archetypo mundo omnia ſunt in omnibus, ita in hoc imaginario mũdo omnia in omnibus eſſe: ſed pro natura ſuſcipientium vbiq; ſingula ſuſcipi: vt cæleſtia in elementis elementalia ſint, elementa in cælo cæleſtia: atq; tantã eſſe cæleſtis regionis ſuper alias excellẽtiam, vt cæleſtis ignis præter elemẽtalẽ ignẽ triáq; reliqua elementa dici quintũ valeat elementũ. Hinc mundos quinq; appellari poſſe ait. Siquidẽ omnia rerũ genera in quolibet horũ quinq; ſunt pro ſua cuiuſq; natura. Cõcludemus deniq; concordiã inter Moyſen & Platonẽ, quẽ Numenius alterũ cognominat Moyſẽ. Quòd enim Moyſes ait, In principio fecit Deus cælum & terrã: Plato ait, Deus primò ignem fecit & terram, ignem intelligens præcipuè cælum. Principiũ enim in ſphæra mundi centrum cõſiderauit & ambitum. Reliqua horum gratia interiecit.

CIRCVLARIS MOTVS ONNIS, ſphæræ ſemper mobili proprius eſt. Item ignis maximè proprium eſt lumen.

CAPVT XXV.

SEd neq; nos turbent qui cælũ idcircò igneũ eſſe diffidũt, quia cæli quidem motus ſit circularis, ignis verò ſit rectus. Nam etiã cæli portio quęlibet, ſi fortè ponatur in medio, repentè aſcẽdet in rectũ, breuiori videlicet tramite patriã petitura, & tamen cæli motus proprius eſt circuitus: & terra ſi ſeparetur à cẽtro, deſcendet, & tamẽ eius propriũ eſt quieſcere. Profectò quęlibet ſphæra mobilis tã elemẽtalis quã cæleſtis, pro figura ſua naturaliter mouetur in orbem, ſic loco ſuo plenius fruitura. Motus autem rectus vbicunq; eſt, non tam naturalis eſt, quã reditus in naturam. Si cui verò corpori circuitus conuenit, maximè conuenit igni. Cùm enim à terra diſtantiſſimus ſit etiam per naturam, ſicut terra eſt ſemper immobilis, ita ille ſẽper eſt mobilis. Si ſẽper mobilis, ergo in orbem. Quod enim mouetur in rectũ, peracto ſpatio quod finitũ eſt, finit & motũ. Moueri verò in circuitũ tam ignem quàm aerem, oſtendit circuitus cometarũ. Circuitũ quoq; aquæ teſtatur influxus perpetuus & effluxus. Manere verò oportuit terrã, vt indiuiſibili & ſtabili centro foret ſimilior eóq; cõmodius frueretur. Moueri autem ſuperiora, vt varia ſemper pro motionis varietate producerent. Neque negent aliqui cælũ eſſe calidũ, ſed negent potius eſſe vrens. Neq; dicãt ſolis lumen ſola repercuſſione calefacere, ſed ſola cõburere. Nã Lunæ radij repercuſſi nihil calefaciũt, cũ in ea virtus aquea dominetur. Calefaciunt autẽ Solis radij ſalubriter pro ignea ſolis viuificáq; natura. Neq. obiiciant ex tardiori Lunę motu contingere, ne Lunę radij calefaciant. Nã etſi ponitur eſſe tardior, tamen tãtò propinquior eſt quàm Sol hominibus, vt debeat ſi non tantum, aliquantum tamen calefacere, ſi repercuſſione dũtaxat proueniat calefactio. Neque adducant æſtum eſſe ignis proprium. Siquidẽ quo minus alienæ miſcetur materiæ, minus vrit. Sed dicant lu-

men ignis propriũ. Quò enim purius, eò lucidius: licet cœlis quibuſdam non manifeſtius: & lucet longius quàm calefaciat, & prius illuminat, & momento, & calorem largitur calefacto poſt ignem ad tempus ſeruante calorem: lumen verò largitur nulli, vtpote ſibi propriũ. Siquidem abeunte igne, ſimul abit & lumẽ.

DE SPIRITV MVNDI, ID eſt, de intellectu & anima, & intelligentia, & natura.

CAP. XXVI.

POſtquàm verò tractauit quemadmodũ Deus corpus cõſtruxit mundanum, deinceps quemadmodum mundanã animam temperauit, aggreditur diſputandum. Oſtendit interea ſe ante oculos poſuiſſe prius & informem molẽ quam formatam, & mox formatã quodammodo prius quàm animatã: no quia vel informitas ante formationẽ fuerit, vel formatio corporalis ante animã ſed vt cognoſceremus tam formabilem naturã formationis corporeæ gratia quàm corporeã formationẽ gratia animæ tanquã finis, eſſe diuinitus inſtitutam. Volens itaque Deus opus perfectũ facere, viuum & intellectualẽ effecit mundum: atq; vt ex ipſo ſpiritu, & materia mundi cõmodius animal vnũ connecteretur, materiã diſtinxit in quatuor, vt diximus elemẽta, quaſi animalis huius humores, quia & ſpiritũ, eius in quatuor voluerat eſſe diſtinctum. Quatuor enim ad mundi ſpiritũ pertinẽt. Primum quidẽ intellectus, in ſe manens immobilis, ſphæræ motor ſiue rector, ita regendis ſphæris ab autore rerum omniũ inſtitutus. Secundũ ſphæræ anima, motor mobilis quidẽ, ſed mobilis per ſeipſum. Tertiũ intelligentia quædã, huic animæ à Deo, & intellectu ſuperiore diuinitus inſita: Quartũ natura, id eſt, ſeminaria vitaliſq; virtus ab anima paſſim infuſa materiæ. Intellectus quidẽ & anima ſubſtantiæ ſunt, intelligẽtia verò atq; natura ſunt, qualitates. Illa quidẽ animæ hæc verò materiæ. Horum quatuor imagines ſunt quatuor elementa. Ignis enim intellectum refert. Terra naturã. Intelligentia Aer, Aqua deniq; animam. Et ſicut igni tria propria ſunt, tria quoq; oppoſita terræ mediiſq; media quadã ratione conueniunt: ſic tria intellectui propria eorũq; oppoſita propria ſunt naturæ, mediis quoq; media. Intellect⁹ enim indiuiduus eſt, vniformis, æternus. Natura diuidua, & multiformis, & temporalis. Animæ verò inter hæc media per intelligentiã quidẽ magis intellect⁹ ipſius particeps euadit quàm naturæ. per animalẽ verò potentiã, cum naturæ potius quàm cum intellectu cõſentit. Quamobrẽ partim indiuidua dicitur, partim quoque diuidua. Item vniformis ſimiliter & multiformis. Rurſus æterna partim & tẽporalis. Proinde quatuor vitæ ſecundũ quadruplicem mundi ſpiritum numerantur. Saturnia quidẽ vita in intellectu ſuſpiciente patrem ſuũ cælum, id eſt, deũ cæli fabrum. Iouialis autem intelligentia ad actionem iam mobilem declinante. Venerea in animali virtute iam amante materiã. Dionyſiaca in natura quaſi ebria, id eſt, immerſa materiæ. Præterea ſenſus ſimili ratione quatuor in vniuerſo cõnumerãtur. Primus vtiq; ſenſus in anima mundi, communis inquã ſenſus, & vnus, id eſt, imaginaria quædam virtus ſic intelligentiã eius comitãs, & formas rerũ particulares attingẽs vt illa vniuerſales: attingens inquam intrinſecus: ideóq; nullis indiget inſtrumentis, neque extrà procedit vſquam, neque patitur. Secũdus verò ſenſus in animabus ſphærarum eſt atq; ſtellarum, communis certè impatibiliſq; ſimiliter. ſed extra procedẽs. Tertius in particularibus animabus, vltra vim communem iam per inſtrumenta ſingula diſtributus, & extra ſe porrigens, atq; à paſſione exoriẽs, ſed deſinẽs in iudiciũ. Quartũ deniq; ſenſum Pythagorici concedunt plantis, imo ſenſus ſimulachrũ, & id quidem ſtupidum nullum iam habens iudicium qualitatis, ſed in ſola poſitũ paſſione voluptatis cuiuſdã atq; doloris. Senſus primus intellectũ repræſentat: ſecundus intelligentiam. Tertius vim animalẽ: Quartus deniq; naturalẽ. Meminiſſe verò oportet ipſam mũdi materiam, neq; aliter ſuſcipere animam quàm per naturam, neq; aliter intelligentiam quàm per animam, neq; aliter intellectũ quàm per intelligentiam. Quemadmodum per terram accipit aquam per hanc aerem, per hunc & ignem. Cæterùm quod deinceps his ſimile ſequitur, animaduerte. Ait enim: Deus animam in medio poſuit, eámque inde extendit per totum, ac demum per ipſam extrinſeca mundi protexit. Primò quidẽ ſignificat animam & implere totam mundi molem, aliis ſcilicet virtutibus alias mundi partes moderantem, & ſuprema ſui circa mundũ virtute, id eſt, intellectuali prouidẽtia, mundum exuperare. Quòd autem virtus animæ ab ipſo medio porrigatur per vniuerſum, his per quatuor gradus exponitur. Primò quidẽ à media terra paſſim virtutem connectendi protendit, à media aqua diffundit vim vitalẽ, ab aere ſimiliter ſenſualem, ab igne rationalem. Deinde à media mũdi ſphæra vim, vt diximus, connectendi, à ſphæra Lunæ generabiliũ ingenerabiliũmq; media vim vitalẽ, à Sole mũdi corde ſenſualem, à Zodiaco medio firmamenti rationalẽ. Cùm verò duplex ſit ad Deum ordo rerum, alter quo ab eo procedunt, alter quo procedentes conuertũtur ad ipſum, Plato proceſſionis ordinem ſecutus eſt, vbi ait: Deus intellectum in anima, animã locauit in corpore. Conuerſionis quoque ordinẽ cogitãs, ait: Deus animam in medio poſitam protẽdit eam inde per totũ, & interim aliquid eius eduxit extra nũ lum: quòd videlicet, dum prouideret mundo, conuerteretur ad Deum.

DE COMPOSITIONE ANIMÆ & quòd per quinarium in ea componenda opportunè proceditur.

CAP. XXVII.

QVoniam multa quæ pertinent ad ſphærarum animas, mẽtes, motiones, compoſitionem animæ in Theologia planius expoſuimus, idcircò in illis exponẽdis hic & fuimus, & erimus breuiores. Nam ad nonulla magis propria iã properamus. Principiò quinarium numerũ compoſitioni partitioniq́ue animæ cõuenire tribus de cauſis arbitramur. Prima, quia ſicut quinarius ex primo pari primóq; impari conſtat, ſic anima ex diuidua indiuiduáq; natura. Scis autẽ parẽ numerum appellari diuiduum, imparẽ verò indiuiſibilem, quoniã in partes æquales diuidi nequit. Secũda, quoniã genera etiã quibus à Deo cõponũtur omnia, per quinque diſtribuũtur. Sunt enim eſſentia, idem, alterum, ſtatus, motus. Animam verò velut omnium media, præcipua quadam ratione ex ipſis quinque omnium generibus compoſitam arbitrãtur. Tertia, quia cùm anima ſit mediũ vniuerſi, naturaliter quinariũ ſuſcipit, vniuerſi numeri mediũ. Eſt enim quinarius perfectũ denarij mediũ. Nã quũ quinquies ritè denariũ diuidamus, mediũ eſt æquè diſtans in qualibet diuiſione quinarius. Primò quidem ſi decẽ in nouẽ diuiſeris atq; vnũ videbis quinariũ inter vnũ nouẽmq; eſſe mediũ pariter vtrinque diſtãs. Si ſecundo in octo atq; duo partiri decẽ volueris, rurſus quinariũ æquale inter hæc mediũ reportabis. Si tertiò in ſeptem atque tria, vel quartò in ſex & quatuor, iterũ medium verum accipies inter extrema quinariũ. Mediũ vbiq; dicimus Arithmeticum.



Quòd autẽ quintò decẽ partibus in quinque atque quinque medium quinarium habeas, dictu ſuperuacuum eſt. Quas ob res Plato in diſtributione vniuerſi, tum corporis, vt ita dixerim, animabilis, tum animi, quinque potiſſimùm capita adducit in medium. Nam vtrobique primùm agit de ipſa rei ipſius, vt ita dixerim, ſubſiſtentia atque fundamento. ſiue corporis inquam, ſiue animæ. Secundò de partium vtriuſque cõcordia. Tertiò de ſpecie ex partium concordia reſultante. Quartò de virtutibus ſpeciei. Quintò de actionibus quæ à virtutibus oriuntur. Volunt verò Platonici ad eſſentiam animæ tria illa, ſcilicet ſubſtãtiam, concordiam, ſpeciem pertinere: per hæc ſequi virtutem & actionem. Concordiam inquam, id eſt, congruam contemperantiam, & hanc quinariam ſcilicet generum, partium, rationum, viriũ, actionũ. Conſtat enim anima ex illis rerum quinq; generibus, per quæ & partes eius propriæ aſſignãtur. Suſcipit rurſus à Deo rerum omnium, rationes. Habet hinc vires multas propriáſque, per quas edit & actiones. Vbi verò animam appellat concordiam, vel concentum: memineris Platonem in Phædone quidem negare animam eſſe harmoniam, ſcilicet partium corporaliũ ex ipſis confectã, in eiſq; iacentem. In Timæo autem affirmare animam harmoniã eſſe, ſcilicet partium ſuarum in ſe manentem, & ex ſe corpus contemperantem. Præterea vbi ait, Cõpoſuit Deus ex indiuiſibili ſempérque eodem ſe modo habente eſſentia, itémque ex illa quæ circa corpora ſit

ſit diuiſibilis, mediam eſſentiæ ſpeciem, id eſt animã, expone hæc per illa quæ dicit alibi: Fecit Deus mundum viuentem, animatum, intellectualem. Vbi enim dicit viuentem, deſignat vitam quandam naturalem per mundi corpora ſparſam, vnà cum corpore mundi extenſam mobilitérq; agentem. Vbi verò ait intellectualẽ, intelligit intellectus angelicos, qui propriè regẽdis ſphęris præfecti, & indiuiſibiles ſunt ſecundum locũ, & immutabiles ſecundum tempus, oppoſito ſe modo habẽtes, atque naturalis vita formáq; corporea diuiſibilis atq; mutabilis. At vbi ait animatũ, ſignificat ipſam animæ mundanæ ſubſtantiam, cuius eſſentia quidẽ, & indiuiſibilis eſt, & immutabilis, vt intellectus. Dici tamen poteſt quodãmodo diuiſibilis atque mobilis, quia fons proprius eſt virium quarundam ad diuiſibilia & mobilia declinantium. Virtus autẽ actióque partim indiuidua & immobilis, quatenus cõgruit cum diuinis, & ſtabiliter agit: partim verò & diuiſibilis eſt quodãmodo, tum quia multiplex, tum quia ad corpus multiplex diuiſumq; declinat: & mobilis, quia tẽporaliter operatur. Hanc itaq; anima appellat eſſentiæ ſpeciem tertiã, inter indiuidua ęternáq;, ac rurſus diuidua atque temporalia mediam. Quòd autem vbi mundum denominat intellectualẽ, ſignificare velit intellectus angelicos, ex eo probatur, quòd mũdi corpus per vitã paratur ad intellectũ: ergo quemadmodũ, ſe habet ad vitã, ſimiliter ad intellectũ. Itaq; ſicut non ſolùm habet naturalẽ vitã in materia mundi iacentẽ, ſed vitam etiam animalem, id eſt animã in ſe exiſtentẽ: ita non modò habet intellectualem qualitatẽ infuſam animæ, verumetiam intellectualem ſubſtantiam in ſeipſa manentem. Vbique enim qualitates certæ ad certas ſubſtantias reducuntur, vt quemadmodum vitalis qualitas ad vitalem ſuſtantiã, ita intellectualis quoq; qualitas ad intellectualem ſubſtantiam referatur. Componit autem animum quinq; potiſſimũ modis, Primùm ſcilicet ex ipſis quinq; rerũ generibus. Itẽ ex numeris. Tertiò ex concentibus numeroſis. Quartò ex initiis figurarum. Quintò ex principiis motionũ, videlicet vt poſſidens metaphyſicorum mathematicorumq; rationes ita cuncta cognoſcat, ſcilicet eſſentias, numeros, cõcentus, figuráſq; & motus. Item quatenus anima diuinis cognata eſt, ex rerũ generibus quæ primò diuinis inſunt, dicit eſſe compoſitam. Quatenus cognata eſt naturalibus, miſcet eã figuris & motibus. Quatenus autem inter vtraque medium obtinet, numeroſis eam cõcentibus rationibúſq; contẽperat. Quinque verò illa. ſcilicet eſſentiam, idem alterum, ſtatum motu, genera rerũ nominat: quod ex illis præter primum omnia componantur. Eſſentia quidẽ manifeſtè ſignificat rationem rei cuiuſq; formalem, innuit quoque eſſe tanquam actum eſſentiæ proprium. Idem verò dicitur, quoniam quodlibet, & ſecum in primis, & cum aliis congruit. Rurſus additur alterum, quia quandam tum intra ſeipſum, tum ad alia differẽtiam habet. Præterea ſtatus, quippe quum aliquãdiu ſuam quandam retineat vnitatẽ. Deniq; motus hoc in loco exitum quendam ex potentia in actum: ſiue eſſendo, ſiue quomodolibet intrinſecus extrinſecúſve agendo ſignificat. At ſuper hæc quinque genera ponuntur tria, terminus, infinitudo, mixtio. Super tria hęc ponitur ipſum vnũ. Eſſentia quidem diuinum ipſum vnum ſequitur. Idem verò ſtatúſque, terminũ. Sed alterum atq; motus, infinitudinem comitatur. Denique ſicut ipſa mundi quatuor elementa per ſummũ gradum locauimus in cæleſtibus, per medium ſub Luna, per infimum verò ſub terra, ſic genera quinque ſumma quadã ratione ponimus in diuinis, media in anima, infima verò ſub anima. In diuinis enim & vnitas multitudinẽ, & terminus infinitudinẽ ſuperat, & idem excedit alterũ, & ſtatus præualet motioni. In rebus autem inferioribus omnino contrà fit: & quæ ibi ſuperabant, hic viciſſim iam ſuperantur. In anima potiſſimùm æqualis euadit ſingulorum ad ſingula temperatio, vt non immeritò hanc præcipuè, tum rerum mediam, tum muſicis rationibus temperatã eſſe velint. Congruunt animę mathematica: vtraq; enim inter diuina & naturalia media iudicantur. Congruunt muſici numeri animæ plurimũ. Mobiles enim ſunt, proptereáq; animam, quę eſt principiũ motionis, ritè ſignificant. Non ſolùm verò per numeros, ſed etiam per figuras deſcribitur anima: vt per numeros quidem incorporea cogitetur, per figuras autẽ cognoſcatur ad corpora naturaliter declinare. Conuenit triangulus animæ. Quia ſicut triãgulus ab vno angulo in duos protẽditur, ſic anima ab indiuidua diuináq; ſubſtantia profluẽs, in naturã corporis labitur penitus diuiſibilem: ac ſi cum diuinis conferatur, diuiſa videtur. Quæ enim illa per vnam & ſtabilem virtutem agunt, atque ſubitò, hæc per plures mutabiléſque vires actioneſq; peragit, ac temporis interuallis. Sin autẽ conferatur cum naturalibus, indiuiſa cenſetur. Non enim alibi habet partes alias loco disiunctas, vt illa, ſed eſt in qualibet totius parte tota: neque omnia mobiliter tẽporéq. perſequitur, ſicut illa, ſed nonnihil etiã ſubitò conſequitur, æternéq. poſſidet. Licet in hoc inſuper animã cum triangulo comparare, quòd triangulos prima figura eſt earũ quæ pluribus conſtantes lineis producuntur in rectum. Anima ſimiliter prima omniũ in plures diſtribuitur vires, quæ in ipſa intelligentiæ ſubigũtur: ac produci videtur in rectũ, dum à diuinitate labitur in naturam. In quo quidem deſcenſu ab intelligentia ſumma in tres profluit vires inferiores, id eſt in diſcurſum quendã rationalẽ, in ſenſum, in vegetandi virtutẽ. Quemadmodũ & triangulus à ſigno productus, in tres deducitur angulos. Dico autẽ animam ex omniũ genere primam, & ex pluribus quodãmodo viribus commiſceri, & in rectum, vt ita dixerim, cadere. Mens enim angelica ſuper animã inferioribus intra ſe nullis indiget viribus, ſed pura mẽs eſt, totáq. mens atque ſufficiens. Itẽ ad inferiora non vergit, ſed in diuinitatẽ ſolam, vnde eſt, circuli more cõuertitur. Ideoq. eius actio circulo cõparatur. Vna enim actio eſt & æqualis: ſicut ex vna & ęquali linea circulus, & mira quædã vtriuſq. capacitas. Præterea circul⁹ prima eſt & vltima figurarũ. Prima, quia vna circum contẽtus eſt linea. Vltima, quia figuræ ex pluribus lineis cõſtitutæ, quò plures ſubeũt facies, eò propinquius paulatim ad circuli formã quaſi finem videtur accedere. Similiter & intellectus omniũ prim⁹ procreatur à Deo, & intellectualis vultus, id eſt, abſolutus ordo rerũ vltimus omniũ in ſpeculo naturæ refulget, ad quẽ naturales formæ quaſi finẽ magis gradatim magiſq; accedunt. Sed de intellectu aliàs. Nunc ad animã reuertamur.

CVR ANIMA REI COMPOSITÆ comparatur: cur conſonantiæ muſicæ.

CAPVT XXVIII.

TRia potiſſimum de Anima in præſentia quærimus. Primũ Quamobrem Plato animã fingit rei compoſitæ ſimilem. Secundum, quam ob cauſam rei cõcordia quadam compoſitæ. Tertium, cur conſonantiæ muſicæ. Principio anima, etſi indiſſolubiter compoſita eſt, tamen tãta eſt multiplicitate cõpoſita, vt naturali quadam inclinatione ad ea vergat quæ ſunt omnino compoſita. Idcircò cõpoſitis, quibus cum naturali quadam non dico cõſanguinitate, ſed affinitate cõſentit, quodammodo ſimilis figuratur. Deinde quia media rerum eſt, meritò & ex omnibus componitur, & concorditer cuncta deuincit: ideóque cuidam vel cõcordiæ, vel concorditer cõpoſito comparatur: præſertim quoniã quæ in natura inter ſe pugnant, anima conciliat inuicẽ, conciliata connectit, connexa conſeruat. Itaq; non iniuria concordia quædam ſubſtantialis, ſiue ſubſtãtia maximè concors indiſſolubiliſq; anima iudicatur. At cùm illa etiam quæ cætęris ſenſibus apprehendũtur, ſæpiſſimè cõcorditer cõpoſita ſint, quærebatur tertio, cur Plato concordiæ potiſſimum muſicæ ſimilem expreſſerit animam. Reſpondetur ad hæc: Muſicã cõſonãtiam in elemento fieri omnium medio, pérq; motum, & hunc quidem orbicularem ad aures peruenire, vt non mirum ſit eam animæ conuenire, tum mediæ rerum, tum motionis principio in circuitum reuolubili. Adde quòd cõcentus potiſſimũ inter illa quæ ſentiũtur quaſi animatus, affectũ ſenſuúmque cogitationẽ animæ, ſiue canentis, ſiue ſonantis perfert in animos audientes: ideóque in primis cũ animo congruit. præterea quæ ad viſum quidem ſpectant, & ſi pura quodam modo ſunt, tamen abſq; motionis efficacia, & per imaginem ſolam abſq; rei natura ſæpius apprehẽdũtur: ideò parũ admodũ mouere animos ſolent. Quæ verò ad olfactũ, guſtũ, tactum, quaſi valdè materialia potius inſtrumenta ſenſuum titillant, quàm animi intima penetrent. Concentus autem per aeream naturam in motu poſitam mouet corpus: per purificatum aerem concitat ſpiritum aereum animæ corporiſque nodum: per affectum, afficit ſenſum ſimul & animum: per ſignificationem, agit in mentem: denique per ipſum ſubtilis aeris motum penetrat vehementer: per contemplationem lambit ſuauiter: per conformem qualitatem mira quadam voluptate perfundit: per naturam, tam ſpiritalem quam materialem totum ſimul rapit & ſibi vendicat hominem. Et profectò ſi quis tanta Muſarum arte diligentiáque concentus offerret auditui, quanta naturæ artiſue cura vel ſapores guſtui, vel mollia tactui offeruntur, proculdubio cognoſceremus Apollinẽ multo magis animum rapere melodia, quàm vel Bachus vino guſtum, vel Venus pruritu tactum ſoleat occupare. Accidit ad hæc, quòd vbi Plato mũdi fabrum inducit loquentẽ, tum ſecum ipſe ratiocinãdo, tum ad reliqua imperando, eloquium ipſum quaſi Apollineũ cantum apprimè muſicum originem mundani tam animi quàm corporis eſſe putat, & animam inde natam muſica ſimiliter ratione citharam pulſare cæleſtẽ. Et profectò quod in cæleſti melodia

lodia eſt, tū ex tardiori motu grauis tonus, tum ex motu velocio ri tonus acutus, idē ſub cælo eſt grauitas, & leuitas: itē frigus & calor, rurſus humor ſiccitaſq; elemētorum. Idem in generatione rerū, materia eſt & forma. Idē in humanis ingeniis, manſuetudo & magnanimitas, tēperantia atq; fortitudo. Et quēadmodū ex graui acutáq; voce ſic ex geminis cunctis, quas narrauimus naturis, vbiq; fit vnū. Cùm igitur coſonātia muſica quaſi viua ſit, & rationalis & efficax, itē vtpote quàm ſimilima, animo quàm gratiſſima, rurſus totum ſibi hominem vendicet, & quod maius eſt per ipsā factus ſit anim⁹, facta ſint omnia, per ipſam coſeruentur, per ipsā & moueātur, haud ab re Plato noſter animā effectricem ſeruatricem, motricem omnium naturalium muſicis prēcipuè numeris rationibúſq; deſcripſit, numeris inquā non mathematicis accidentibus, vt quidā calumniātur, ſed idealibus numerorum metaphyſiciſque rationibus conſtitutam.

PROPOSITIONES, ET PROportiones ad muſicam Pythagoricam & Platonicam pertinentes.

CAP. XXIX.

PHthongum, id eſt ſonū melodiis aptū vocant, quo & grauiorem, & acutiorē facilè quis edere poßit, vt neq; tā profundus remiſſúsq; ſit, vt ſit ſilentio ſimilis, neq; tam altus & intētus vt perſtrepat. Grauē ſonum motu remiſſo & tardo, acutum intentiore & velociore creari putāt. Quemadmodū verò remiſſus admodum, & tardiſſimus motus ad quietē quaſi videtur accedere, ſic ſonus grauiſſimus ad ſilentiū. Rurſus ſicut vehementiſſimus celerrimúſq; motus ad violentiam, ſic ad offenſionē ſonitus acutiſſimus. Interualla verò ſonorū appellāt certos exceſſus inter eos in acumine grauitatéq; mutuos. Copoſitiones autē congruentiū ſonorum ex opportunis proportionibus conſonātiū coniunctiones. Coaptationes quoq; fidiū in muſicis inſtrumētis, ſiue in vnico tetrachordo, quale & inuenit Mercurius, & Orpheus confirmauit, ſiue in duobus tetrachordis per cordas ſeptē vnā coniunctis, qualia Terpāder dicitur effeciße, ſiue in geminis tetrachordis per chordas octo diſpoſitis atq; diſiunctis, quorum Lycaonem Samium fuiſſe aſſerunt autorem, ſiue in tetrachordis quatuor coniunctis, atq; ex fidibus quindecim Græcorum: tandē omnium approbatione conſtantibus in his omnibus tetrachordis gradatim diateſſaron reſonat conſonantia. Iam verò poſt ſonorū interuallorum, compoſitionū mentionē ad proportiones, ex quibus fiunt conſonantiæ, procedamus. Proportionē æqualitatis nomināt, quæ fit inter terminos omnino inter ſe pares & æquales, vt inter vnū hoc, atq; vnū illud, & cubitū atque cubitum. Inæqualitatis autē quæ inter impares vel inæquales, vt inter vnū atq; duo, & cubitū atque bicubitū. Et hæc quidē altera maioris inæqualitatis, vt dupla: altera verò minoris, vt ſubdupla. Præterea proportionē inæqualitatis triplicē in præſentia conſiderare debemus. Primam quidē, quam multiplicē nominant, vt duplam, triplam, quadruplam: quę per maiorem numerū non diuidit minorē, ſed reſumit multiplicátq; totū, ſiue bis, ſiue ter; atq; ita per modū numeri infinitè multiplicabilis infinitè procedit. Secundā verò, quam ſuperparticularem nuncupant, in qua maior numerus præter id quòd minorē compræhendit ſemel totum, diuidit ipſum deinde, partémque diuiſam ſuperponit toti, ſed partē quam vocamus aliquotam, id eſt, ex qua aliquoties replicata ſit totum. Harum prima eſt ſeſquialtera, inter binariū & ternariū. Ternarius enim binarium compræhendens, addit inſuper vnitatem, quę bis reſumpta binariū efficit. Secunda ſeſquitertia, inter quatuor atq; tria, atque ita in infinitū per modū continui diuiſibilis infinitè proceditur. Tertia eſt ſuperpātiens, quæ toti ſuper addit partē, quæ aliquoties accepta totū propriè creare nō valeat, qualis eſt inter quinariū & ternariū. Nam quinarius vltra ternariū adiungit binariū, qui & ſemel ſumptus non implet ternariū, & bis acceptus excedit. Proportio hæc quia totum diuidit in partem reſtitutioni totius ineptā, inepta videtur ad cōſonantiam in qua omnis diuiſio in totū, & multiplicatio in vnū neceſſariò reſtituitur. Secunda verò apta cenſetur, quoniā & ſi diuidit, tamē ab ipſa reſtitutionis facilitate nō errat, & in ipſa termini eſſe inuicem commenſurabiles iudicantur. Differentia enim inter duo atque tria eſt vnitas: hæc verò comunis eſt vtriuſque menſura. Accepta enim bis, metitur binarium: ter accepta, ternarium. Sed inter quinarium & ternariū differētia eſt binarius: hic autem non poteſt aliquoties acceptus vel ternariū, vel quinarium vllo pacto metiri. Proportio verò prima concentibus accomodatiſſimā eſt. Non enim diuidit, ſed & multiplicando reſtituit, & reſtituendo multiplicat. Neque quęrit aliunde mēſurā, vt ſuperparticularis, ſed minor terminus maiorem metitur, in dupla bis, in tripla ter replicatus. Neq; ab integritate, neque à ſimplicitate cadit. Superparticularis autem ab integritate quidem labitur: diuidit enim: ſed ſeruat ſimplicitatē, per vnā enim quandam diuidit partem. Superpartiens verò non modò amittit integritatem, ſed etiam ſimplicitatem, vbi plures commiſcet partes, in vnum quiddam reſtitutioni totius ineptum. Idcircò hæc à conſonantia diſſonat, duæ verò ſuperiores coſonant, magis autem multiplex, maximè dupla. Nempe in hac non videtur aliud propriè aliud ſuperare, ſed ſuperari quodlibet à ſeipſo. Nā in dupla binarius ſuperat vnum vno. Quaternarius binarium binario ſimitérque deinceps. Adde quòd prima eſt inter primos numerorum terminos, vnitatem ſcilicet binariúmq; progenita. Progenita inquam ſola, abſque aliarum cómercio, quaſi libera, & ab omnibus abſoluta. Tripla verò, dum inter vnum oritur atque tria, ſociam habet ſeſqui tertiā ſimul inter duo triáque naſcentem. Quadrupla quoque videtur ſeſquitertiæ commiſceri. Nam cùm primum quadrupla naſcitur quatuor inter & vnū, oritur ſimul & ſeſquitertia quatuor inter & tria. Item dupla proximè oritur ab ipſa ęqualitatis proportione, ab hac tripla & ſeſquialtera. Item à tripla quadrupla & ſeſquitertia naſcitur, aliæq; ſimiliter. Quod quidem niſi prolixitatem vererer, perſpicuè demoſtrarem. Ad duplam igitur tanquam ad principium atque finem omnes alię rediguntur, eámque vel diuidunt, vel multiplicant. Dupla enim prima, integra, ſimplex, abſoluta & æqualiſſima eſt, vt non mirum ſit conſonantiā ex hac ipſa naſcentē eſſe omniū perfectiſſimā, & appellari Diapaſon, quia & ipſa per omnia protendatur, & omnes proportiones reducātur ad ipſam. Verùm antequā conſonantias proſequar, admonendi ſumus, quē Græci Logon nominant, nos rationem proportionēque nominare, & quam illi Analogiā, nos rationis comparationem ſiue ſimilitudinem rationis & proportionalitatē rurſus, appellatione verè tam eleganti quàm propria. Et proportionem quidem inter duos fieri terminos: & quando ritè fit, conducens videlicet ad melodias, definiri mutuam duarum quantitatum inter ſe commenſurabilium habitudinem, vt dupla inter vnū atque duo, & ſeſquialtera inter duo atque tria, ſimileſq; deinceps. Proportionalitatem verò definiri mutuam duarum proportionum comparationem. Ceu quando dicimus, quemadmodum ſe habent duo ad quatuor, ita quatuor ſe habent ad octo per rationem videlicet vtrobique duplam. Quæ quidem comparatio, quia inter tres fit terminos, continua nominatur. Diſcreta verò eſt, quoties inter plures efficitur, ceu quando ita conferimus: Sicut duo ad quatuor, ita octo ad ſexdecim ſeſe habent. Item comparationem eiuſmodi eſſe triplicem, ſcilicet arithmeticam, geometricam & harmonicam. Arithmeticam in numeri paritate conſiſtere. Sic inter tria & ſeptem medius eſt quinarius, numero eodem, ſcilicet binario alterum terminum ſuperans, ab altero ſuperatus, per proportionem vtrinque bipartientem. Geometricam verò in rationis æqualitate ſitam eſſe, in qua ſunt multiplex atque ſuperparticularis: quādo videlicet ita comparamus, ſicut ſe habēt tria ad nouē, ita nouem ad ſeptem atq; viginti, nā vtrobiq; tripla. Itē quod eſt nouenarius iuxta ſenariū, idem eſt ſenarius iuxta quaternariū. Nam & hic, & ibi eſt proportio ſeſquialtera. Denique proportionem harmonicam in quadam ſimilitudine collocant, per quam tribus terminis in ordinem poſitis, ſicut maximus terminus aſpicit minimum, ſimiliter differētia inter terminos maior minorem reſpicit differentiam. Si enim ponas tria, quatuor, ſex, differentia inter ſex & quatuor eſt binarius: differentia inter quatuor & tria, vnitas. ſicut autem inter ſex & tria dupla ratio eſt, ita inter duo & vnum eſt ratio dupla. Viget hic altera quoque ſimilitudo, ſcilicet portionum: Simili nanque extremorū portione medius terminus excedit atque exceditur. Quaternarius enim ſuperatur à ſenario per tertiam ſenarij partem: ſuperat quoque ternarium tertia ternarij parte. In hac vtique artificium verſatur harmonicum, quod proportiones quidem ſuperpartientes quaſi diſgregatas diſſonáſque deuitat, multiplices autem & ſuperparticulares admittit, coponens duplas ex ſeſquialtera atque ſeſquitertia, per harmonicā qualem diximus rationem concordi varietate gaudentem. Amat verò, quemadmodum dicebamus, comparationes multiplices, necnon ſuperparticulares, ea inſuper ratione, quod in his tanta eſt ad idem reſtituendum procliuitas, vt quando plures rationis eiuſdem inuicem componuntur, medium in ſe ductum tantundem multiplicet, quantum extrema ſi inuicem perducantur. Pone duo, quatuor, octo: ſicut autem bis octo, ſic & quater quatuor ſexdecim procreant. Item pone, quatuor, ſex, nouem: ſicut ergo quater nouem, ſic etiā ſexies ſex multiplicāt ſex atque triginta. Similiter ſi duo inter extrema media interceſſerit

puta

puta inter duo atq; ſexdecim poſueris quatuor atq; octo. Omnes enim hi deinceps numeri dupla proximū ratione conſpiciunt. Si ergo duo in ſexdecim ducas, tantudem reportabis, ac ſi quatuor in octo perduxeris. Idem contingit in cæteris tā ſuper particularibus quàm multiplicibus. In ſuperpartientibus autem non fit idem. Diſpone tria, quinque ſeptem. Sicut à ſeptenario ad quinarium eſt habitudo ſuperbipartiens, ſic à quinario ad ternarium. Vtrobique enim duæ quædam partes toti inſuper apponuntur. Si ducas ternarium in ſeptenarium, non eundem numerum procreabis, ac ſi quinarium in ſeipſum. Primò itaq; gradu ſunt multiplices: quoniā præter id quod modò dicebamus, per eas numeri omnes reſpiciunt etiam vnitatem, dum aſpiciunt numeros. Secundo gradu ſuper particulares: quia etſi vnitatē ipſam non ſpectant, ſemper tamen vnam quandam ſpectant partem ad integrum vnum accommodatam. Tertio ſuper partientes: quia horū neutrum videntur aſpicere. Quamobrem hanc odit habitudinem facultas harmonica, tanquam cócordiæ reluctantē. Optat enim, vel ex ipſa æqualitatis proportione vniuocū vniſonúmq; cōficere: vel ex rationali, id eſt multiplici & ſuperparticulari inæqualitatis proportione, æquiuocum æquiſonúmque conſlare. Talem verò æquiſonū conſlat ex dupla, qualis vniſono ſit quàm proximus: quia in dupla & minor terminus maiorem metitur, metiēdóque adæquat: & maior vbi minorem ſuperat, non alio numero quàm ipſomet minore, vt ita dixerim, exuperare videtur.

QVOD IN MVSICIS CONſonantiis vnum ex multis efficitur, per quod conſonantia definitur.

CAP. XXX.

QVemadmodum medici peritiſſimi certos inuicē ſuccos certa quadam ratione commiſcēt, per quam in vnā nouámq; formam plures atque diuerſæ materiæ coeant, & vltra vim elementalem, virtutem quoque cæleſtē mirificè nanciſcantur, quod in Mithridatis confectione, & Andromachi theriaca eſt manifeſtum: ſimiliter artificioſiſſimi Muſici grauiſſimas voces quaſi materias frigidas, voces item acutiſſimas quaſi calidas, rurſus mediocriter graues vt humidas mediocriter, & acutas vt ſiccas, tanta ratione contemperant, vt vna quædam forma fiat ex pluribus, quæ vltra vocalem virtutem conſequatur inſuper & cæleſtem. Quod quidem ex eo quod Democritus Theophraſtuſq; aiunt, & Pythagoras effectu probauit, euidenter apparet. nam certis concentibus morbi quidam tam corporis quàm animi mirabiliter curari dicuntur, vt non mirum ſit veteres ſapientes in idem, id eſt, Apollineum numerum, tam medicinæ quàm muſicæ originem retuliſſe. Vtraq; enim medicina eſt. Sed altera quidem ex corpore animam, altera verò ex anima curat corpus. Accommodatiſſimè etiam Apollini melodiæ fonti vaticinium tribuerunt. Sola enim melodia ab omnibus quotcunq; diſtrahunt animum retrahens, contrahit in ſeipſum in auditum quendam, vt ita loquar, interiorem: quo non voces ſolùm, ſed & rationes vocum percipiuntur: ſedatiſq; perturbationibus cæleſti contemperat harmoniæ, diuináq; cælitus effundit oracula. Sed ne quis forſan neget ex acuta grauique voce tertiam fieri communémque vocale formā, cogitadum eſt, graues voces acutis perfectius cōmiſceri poſſe, quàm ſuccis ſucci permiſceri dicantur. Primò, quia vocales materiæ ob ſubtilitatem ſuam continuúmque motum, vniformémq; in cunctis corporis aerei qualitatem, facilius conſummatiúſque quàm ſucci & craßi, & ad motum ineptiores, & qualitatibus admodum diſcrepantes, coſlantur in vnum. quòd ſi in vnum, ergo ad vnam nouámq; formam aptius parantur concipiendam. Deinde quoniam inſtrumentū vocis naturale, intrinſecum, virtuti vitali, animali rationali quàm proximum atque obedientiſſimum, facilius perfectiúſq; arti obtemperat muſicæ, ad vnum ipſum quò ſpectat, conficiendum, quàm extrinſeca medicis inſtrumenta: atq; etiam ſi pulſetur cithara digitis, fidelius obſequentur muſici voto fides, quàm medicis herbę. Ac ſi in herbarum congeſtam molem vltra induſtriam & operam medicorū agit deinde natura, & tempore quidē certo, multò magis in vocalem materiam tractabilem admodum & formabilem agit natura ſubitò: natura inquam, vbique viuens viribúſque munita cæleſtibus in materiam cælo ſimiliorem & quaſi viuam: cui quidem repente nouam, viuam, mirificam adhibet formam, per quā occulta virtute vires ſuas in corpus experiatur, & animum. Proinde quemadmodum in corpore ex elementis quatuor naturaliter conſtituto, qualitates elementorum quatuor, vnam, & vt quidam nominant, quintam conficiunt complexionem, videlicet ſubiectam virtuti ſpeciali occultis modis cælitus prouenturæ: ſic & voces plures ritè cōmixtæ vnum quendam inuicem reſonant reboatum virtutis nouæ atque mirabilis fundamentū. Nam ſi ex ſonante cithara in citharam ſimiliter temperatam reſonat repentè nonnihil: & ex chorda vibrata, ſtatim in chordā æquè tantam tranſit vibratio ſimilis: cuinam dubium ſit ex pluribus vocibus vna quadam ratione conſlatis, vnam ſubitò naſci quaſi formam communem cunctis, per quam plura ſint vnum: ideóq; vt vnum percipiantur à ſenſu, & in vnum quendam cōgrediantur effectum. Conſtat enim idem ex voluptate ſenſus, in quo cùm vna forma, fit ex multis, oblectatio plena prouenit ex vna ſimiliter forma, quæ congruè conficiatur ex multis. Hinc fit vt audire diutius vniſonum tædeat, in quo ſine vlla inæqualitate ſentiatur ęqualitas. Fit inſuper, vt diſſonus offendat ſonus, in quo in vnum differentia non conſpirant, ideóque multa perſpicuè diſcernuntur à ſenſu, & ab ipſo quaſi guſtantur vt multa. Guſtantur inquam, quia ſic fermè ad vocū, vt guſtus ad saporū afficitur mixtionem. Hinc propheticum illud: Dulciora melle ori meo eloquia tua domine. Deniq; ſiue graues ſoni acutos abſorbeant, ſiue acuti graues occupēt, non prouenit delectatio, & tamen vnio quadam vbique requiritur. Quum verò vnio, vel ex abſorbente, vel ex occupante non placeat, reliquum eſt vt ſola placeat, quæ noua & efficax ex moderata quadam conflatione reſultat. Hinc igitur conſonantia definitur, ſoni grauis & acuti mixtura vniformiter ad aures ſuauitérque accedens. Eſt autem mixtura hęc ei ſimilis, quę in ſaporibus guſtui ſatisfacit: in quibus ſapor dulcis nimium atque pinguis, voci remiſſiori admodū grauiorique ſimilis iudicatur: ſapor autem acutiſſimus, acutiſſimæ. Sed dulcis ſapor acrimoniæ mixtus, vocem refert moderatè grauē. Mixtus verò ſalſedini, vel acumini, mediocriter acutam repræſentare videtur. Ac tum demum permixtio multiplex implet ſenſum, quum non diſcernitur vt multiformis, ſed ſeipſam inſinuat vniformem. Tradunt Phyſici ſonum in orbicularem figuram multis gradatim amplificatam circulis ad aures peruenire, non aliter quàm qui in ſtagno ex ictu lapidis ab alto circuli multiplicantur ad littus. Concentum verò ex grauibus acutiſq; conſlatum, velut vnam formam, & hanc rotundam quidē: ſed oualem illabi auribus arbitrantur. In qua quidē octaua vox quaſi per acutiorem verticem, vocis primæ latitudinem ſibi cōtinuans, ex ſeipſa atque prima vnam iam conflat vocem: atque ſicut oculus oualem rotunditatem tanquam vnam videt figurā, quamuis hinc latam magis, inde minus: ſic auditus vocem ex graui octauáque reſultantem haurit tanquam vnam, ab amplo quodam profundo quaſi in acutam ſublimitatem oui inſtar gradatim ſeſe ac ſuauiter attollentem. Hinc fieri arbitramur, vt, & natura eiuſmodi quaſi figuram audiendi inſtrumento tribuerit ſimilémque inſtrumento loquendi, & ars præterea ſimilem quoad fieri potuit muſicis inſtrumentis. Ea certè conſonantiora ſunt, quæ ouali figuræ propinquiora.

QVÆ CONSONANtiæ ex quibus proportionibus oriantur.

CAP. XXXI.

PYthagoram ferunt, quum apud ærarios fabros adnotauiſſet ex malleorum ictibus conſonantiam lege ponderum prouenire collegiſſe numeros, quibus ſibi conſentiens diuerſitas ponderum continebatur. deinde tetendiſſe neruos tam variis ponderibus alligatis, quàm varia in malleis fuiſſe didicerat: atque hinc manifeſtè conſideraviſſe, ex neruo qui ſuper aliū ſeſquioctaua ratione protendebatur, aduerſus alium diſcerni tonum, id eſt plenum integrúmque ſonum, qualis erat nouem ad octo proportio. Neque potuiſſe tonum in duo hemitonia inter ſe æqualia diſtribuere, quando neque nouenarius in partes duas ſecaretur æquales: ſed inueniſſe hemitonium alterum quidē eſſe paulò maius dimidio, alterū verò paulò dimidio minus quod ille Dieſim, Plato Limma vocauit. Quantum verò deficiat hemitonium minus ab integro tono, & à vero hemitonio, Plato in interuallo horum indicat numerorum, ſcilicet inter ducenta quadraginta tria, atq; ducenta quinquaginta ſex. Quū enim octaua pars minoris illius numeri ſit triginta, & propè ſemis, hic verò maior numerus ſuper minorem illum addat duntaxat tredecim, neque tonum reddit, neque integrum hemitonium. Animaduertit deinde Pythagoras integram plenámque toni, vt ita dixerim, latitudinem duobus ſonis & vno interuallo conſtare: atque ita prima conſonantiæ adeptus eſt elementa. Quarum prima diapaſon extitit, ex prima videlicet proportione, id eſt, dupla reſultans, vbi ſcilicet chorda hæc ſuper illam ex duplo penderet,

duplo

duplo magis tenta, dum pulſarentur ambæ, duplo vehementius citiúſq; in ſuam ſeſe recipiens rectitudinē, vocem longè acutiorē viciſſim longè grauiori reddebat, adeò tamen amicā, vt quaſi vnicus appareret ſonus ſeipſo hinc anguſtior, inde amplior. Sonum hunc vbi occurrebat acutior, modulādo metitus eſt in octauo altitudinis gradu à graui, connumerato videlicet graui, eſſe locatum: item octo quidem ſonis interuallis ſeptem, tonis autem ſex fermè conſtare. Præterea vbi inter fides ratio intentionis remiſſioniſque ſeſquitertia erat, inuenit conſonantiam diateſſaron, tonos quidem duos, & hemitoniū minus, ſonos autem quatuor, & interualla tria comprehendentem. In ſeſquialtera verò reperit diapente, & in hac tonos tres, & hemitonium minus, ſonos verò quinque, & quatuor interualla percepit. Animaduertit deinde diapaſon ex diateſſaron & diapēte cōponi: quia ratio dupla quę gignit diapaſon, vbi habet medium, ex ſeſquitertia & ſeſquialtera, ex quibus illæ fiunt, conſtituatur. Prima enim dupla mediū habens duorum eſt ad quatuor, compoſita ex ſeſquialtera inter tria atque duo, & ex ſeſquitertia inter quatuor atque tria. Sed in habitudine tripla diapaſon diapente conſiderauit, habentem ſonos quidem duodecim, ſed vndecim interualla. Nam diapaſon quidem in dupla, diapente verò in ſeſquialtera ſedem habet. At ſeſquialtera duplæ cōtinuata efficit triplam. Sex enim aduerſus tria dupla eſt. Adde nouem, vnde ad ſex naſcitur ſeſquialtera, ſtatim triplam à nouem habebis ad tria. Neq; tamen fit tripla, ſi duplæ adieceris ſeſquitertiam, vt pote ſi illi ſenario adiunxeris octonarium: deeſt enim ſeſquioctaua, ſcilicet nouem ad octo. Et quoniam ſeſquitertia duplæ addita, fit ſuperpartiens, vt octo ad tria. eſt enim hic habitudo dupla ſuperbipartiens per biſſeſquitertiā: ideo Pythagoras prohibuit vltra duplā, id eſt diapaſon repentè continuare per ſeſquitertiam diateſſaron: quamuis Ptolemæus alicubi ſubiunctionē hanc admittat. Commodè verò adiungitur ſeſquitertia triplæ. Hinc enim fit proportio quadrupla, & per quadruplā cōſonantiā diſdiapaſon, habēs ſonos quindecim & quatuordecim interualla: puta ſi poſita tripla inter nouem atq; tria, ſubiunxeris duodenariū, qui eſt aduerſus nouenarium ſeſquitertius, acquires ſubitò quadruplā ex duodecim ad tria naſcentē. Vltra verò quadruplā progredi vetat gratia melodiæ, non ſolùm quia ex vehementiori motu fractioneq; in ſenſum prouenit violentia, ſed etiam quia cùm primum vltra primā quadruplā quincupla naſcitur inter quinque atq; quatuor, oritur ſimul ſuperbipartiens inter quinque atq; tria, quæ diſſonantiam intermiſcet. Sed vt citra quadruplā redeamus, vetat etiā vitandi torporis gratia infra ſeſquitertiā ſæpe deſcendere. Vetat ſeſquitertias ſæpe duas cōtinuare, tum quia alioquin diſplicent, tum quia nō implent duplam atq; diapaſon. Si diſponas nouem, duodecim, ſexdecim ſeſquitertias quidē duas habes, duplā verò nequaquā: deeſt enim ſeſquioctaua, ſcilicet decē & octo ad ſexdecim, vt dupla à decē & octo naſcatur ad nouē. Neq; libenter geminas continuat ſeſquialteras, hæ nanq; continuæ duplam ſuperant ſeſquioctaua. Quod quidem ſi quatuor, ſex, nouē deſcripſeris, deprehendere poteris. Hic enim duæ ſunt proximæ ſeſquialteræ à quatuor vſq; ad nouē. Nouenarius autē octonarium, qui duplus eſt ad quatuor, ſeſquioctaua ſuperat portione. Ex hoc verò apparet potentiam ſeſquialteræ duplæ dimidio eſſe maiorem. Ex quo etiam patet potentiā ſeſquitertiæ tantundē dimidio eſſe minorē: quādoquidē ex ambabus dupla creatur. Superatur quidē ſeſquitertia à ſeſquialtera per octauā vnicā portionem. Ab octo enim ad ſex habes ſeſquitertiam, ſed à nouē ad ſex habes ſeſquialteram. At verò à nouem ad octo ſeſquioctauam: & hac ipſa ſeſquioctaua parte cōprehendis ſeſquitertiā à ſeſquialtera ſuperari. Meminiſſe verò oportet diateſſaron, id eſt comparationem ſonorum quatuor ad quartam altitudinē aſcendentium per ſe quidem auditam non approbari, recipi tamen ex eo libenter, qui facilè tono addito fit diapente gratiſſima vocis quintæ concordia. itē quia ſi cum diapente connectitur, diapaſon conficit omniū perfectiſſimam. Neq; verò turbare quenquā debet, quòd cùm dixerimus diateſſaron quidem quatuor, diapente verò quinque ſonos habere, tamen diapaſon ex vtriſque compoſitam ſonos non plures dicamus habere quàm octo. Nam vbi de compoſitis agimus conſonantiis, ita in quatrichordis inuicē coniugatis fides ipſas diſponimus, ſonóſq; continuamus, vt vltimus primæ conſonātiæ ſonus, ſit primus ſecūdę in ipſa cōpoſitione ſequentis. Hinc ergo res admonet, vt ad ſeptichordum Terpandri regrediamur, in quo quarta chorda bis pulſatur, vt quodāmodo euadat octochordum. Quam quidē coniugationem propterea ſecutus, vt arbitror, eſt Terpander, quia multiplicatio vocū manifeſtè inter ſe diſcrepantiū ad ſonū vſque ſeptimū augetur. Octauus autem iam mira quadā ſimilitudine redit ad primū: quēadmodū & ratio dupla per quam creatur reſtituit minorem, quem ſuperat numerum, dum eundem excedit eodem. Nonus reuertitur ad ſecundū, & diſſonat vt ſecundus. Decimus ad tertium, & cōſonat ſicut tertius. Vndecimus ad quartū. Duodecimus ad quintū. Ad ſextum tertiuſdecimus. Sed quartuſdecimus redit ad ſeptimū. Deniq; quintuſdecimus ad octauū, & cū octauo ſimul ad primum. Primū verò grauiſſimūq; ſonum Hypaten nominant: Sequentem, Parypatem: Tertium, Lichanon: Quartum, Meſen: Quintum, Paramenſem aut Triten: Sextum, Paranetem: Septimum ſonū verò, Netē. Præterea ſi in qualitate motúq; diuturno cōparatio fiat, Hypaten cum Saturno, ſequenteſq; ſequētibus planetis ordine cōferemus. Sin autē in motu diurno eiuſq; celeritate vel tarditate, viciſſim Hypatē cū Luna, ſequētéſq; deinceps cū planetis ſuperioribus cōparabimus. Inueniemuſq; graues in cælo ſonos mixtos acutis eoſdēq; orbes altero quidē motu acutū tonū edere, altero verò grauē. Itē ex ingentibus globis ingentes, ex diuinis diuinos, & multiplicibus reuolutionibus pari ratione multiplices. Et quemadmodum vltra ſeptimū ſonum reuolutio fit in idem, ſic ſuper planetarū ſeptem diſtinctos orbes, omnia reuolui in vnum orbem, in ſeipſo eiuſmodi ſeptenariū mirabiliter complectentē. Sed de his alias. Redeamus ad cōſonantias, eaſq; iam fine quodam proprio cōcludamus. Hæ quidē tres apud veteres numerātur. Prima Diatonica, in qua quodlib. quadrichordū per hemitonium minus procedit, & tonum atq; tonum: quātū ſapiētes alij, tum Plato vel maximè ante alias comprobant, tāquā maximè omnium naturalem: quandoquidē ab hemitonio minore quaſi molli materia ritu naturæ procedit ad validiorē toni materiā, formamq; habet ſimplicē, & manſuetā ſimul atque robuſtā. Adde quod potiſſimū conuenit quadrichordo, in quo Diateſſaro ex geminis tonis & hemitonio procreatur. Secunda cōſonantia, Chromatica nuncupatur, quæ per hemitoniū minus atq; hemitonium maius, & trihemitoniū, diſcurrere cōſueuit. ſed hāc vtpote molliorem philoſophi reprobāt. Tertia nominatur Harmonica, progrediens per quartam fermè toni partē, rurſúſq; per quartam ſimilem atque Ditonum. Hanc quoque non probant ob perceptionis & vſus ſuperſtitioſam difficultatē. Multa verò quę in præſentia ad eadem ſpectantia prætermittimus, in octauo Epiſtolarum noſtrarum libro diligentius pertractamus.

DE HARMONICA animæ compoſitione.

CAP. XXXII.

DEus Animam mundi procreaturus, eam ex indiuidua atq; diuidua cōſtauit eſſentia. Prima hęc apud Platonē diuiſio, in eſſentiā ſcilicet & indiuiſibilem proprietatem atq; diuiſibilē, eſt communiſſima. Nam quod indiuiduū dicit, cōtinet in ſe quod neque ſecundum locum ſecatur in partem extra partem, neque ſecundum tempus à priori diffluit in poſterius. Per primum quidem appellatur idem: per ſecundum ſtatus & ſtabile. Similiter quod diuiduum nuncupatur, in ſeipſo complectitur, & quod loco diffunditur, & quod tempore labitur. Per primum quidem appellatur alterum: per ſecundū motus & mobile: motus inquā in naturalibus. Quapropter ſub illa diuiſione quę dicebat animā ex eſſentia indiuidua & diuidua glomerari, quinq; rerum genera quodāmodo continentur, eſſentia, idem, alterū, ſtatus motus. Plato verò breuitatis gratia non replicat quinq; ſed tria. Repetit enim eſſentiam, idem alterum, quaſi ſufficiant. Nam ad idem quidem ſequitur ſtatus, ad alterū verò motus. Atq; viciſſim ad ſtatum ſequitur idem, ad motū ſimiliter alterū. Inquit autē deū ex eſſentia, & eodem, & altero vnam conſtauiſſe naturam tam exacta commixtione, vt in eſſentia eius vbique idem ineſſet & alterū, atq; viciſſim in ipſo eius eodē ineſſet & alterū & eſſentia, rurſus in ipſo eius altero & eſſentia lateret & idē. Nam eſſentia per idem habet vt & ſecū ipſa aliiſq; congruat: per alterum, & quodāmodo in ſe diſtinguatur, & multò magis à cęteris. Idē verò & alterū ambo vt exiſtāt ab eſſentia ſortiūtur. Sed idē à ſeipſo conuenientiā poſſidet, ab altero differentiā. Ipſum verò alterū à ſe quidē differentiam, ſed ab eodē congruitatē ſimul & ordinem. Horum verò congeriē generum Plato conducere putat animæ ad res omnes tum iudicandas, tū etiā peragendas. Nēpe, quoniā ex eſſentia conſtat, quid ſit vnumquodq; definit: quia ex eodē, cognoſcit quid ſimplex, & ſi compoſitum, qua vnione coniunctum, & quomodo ſecū ipſo aliiſq; conſentiat: quia ex altero, quid ſit diuerſitatis in quolibet, & qua conditione vel in ſe digeratur, vel ſecernatur à cæteris: quoniā ex ſtatu quale & quo pacto, quoduis in ſeipſo permaneat: quia ex motu conſtat, agnoſcit à quali res quæq; & quali ratione depēdeat, item qualia & quomodo

quomodo faciat. Præterea per eſſentiam, dat eſſe rebus: per idē, res ſibi coniungit & aliis: per alterū verò, ſeiungit: per ſtatū in natura propria confirmat & ordine: per motū mouet, & efficit vt moueantur & agant. Quamobrem non immeritò Plato in anima fabricanda, rerum omnium genera certa quadam ratione cōmiſcet. Mixta verò hæc inuicē ait harmonica ratione, non arithmetica, alioquin iniuſta foret alicubi diſtributio: neq; geometrica tantū proportione, alioquin tāta foret ęqualitas in mixtura, vt cum extrema corporū diuerſitate ꝓximè conſpirare nō poſſet. At harmonica ratio variorum ſimilitudine conſtans, & diſſimilia facit ſimilia, & inæqualia communi quadam æqualitate connectit. Eiuſmodi autē eſt animę, tū ad ſeipſam, tū ad corpora qualitas & officiū. Siue enim agat ſecum ipſa, tā intelligentiæ, vt ita loquar, identitati quandam miſcet alteritatē, quàm rationis alteritati quandā identitatē. Similiter in imaginatione facit & ſenſu. Siue agat in corpus, in ordine quodā ſtabili quaſi idētitate ꝑducit motionis alteritatē: quod apparet in cælo, item ſub cælo in ipſa generationis alteritate per continuatū ordinē ſeruat identitatem: & vtrobiq; cōſeruat eſſentiam atq; reſtituit. Quamobrē deus animā mundi componens, vtitur harmonica ratione, tū in rerū generib. inuicem commiſcēdis, tum in portionib. ipſis, quas ab eis accipiebat ad animam componendā, tum in animæ virib. ortum eius eueſtigio comitantibus, tum in mundi ſphæris animę congruentibus. Talem verò mixturā animæ conuenire. Plato nō ſolū rationib. perſcrutatus eſt, ſed etiā coiecturis acceptis à mundo diligēter auſpicatus. Cū enim mūdi corp. & ſub anima poſitū & eius gratia factū & ab ea rectum, motum reformatū contēplaretur, naturæ cōſentaneū indicauit, vt à figura mundi velut imagine, formam quandam eius animæ tanquam exēplar coniectaremus. Quib. itaq; ꝓportionib. ſphæras mūdi cōpoſitas, diſpoſitas, agitatas, ſuſpiciebat, eiſdem fermè, id eſt harmonicis rationib. eius animā auguratus eſt eſſe contemperatā: vt quēadm. apud muſicos à cōcentu artificioſæ mentis ꝓfluit, & cōcentus in vocem, ſic ab harmonia cæleſtis animæ in mundum tranſeat harmonia. Sed Platonem ipſum iam audiamus. Vnam principiò accepit portionem ex vniuerſo. Secundā verò primæ partis duplā. Deinde tertiam quæ ſecundæ quidē ſeſquialtera eſſet, primæ verò tripla. Poſtea quartam, ſecundæ duplam. Quintam deinceps, tertię triplā. Sextā primæ octupl. Poſtremò ſeptim. quæ partib. ſex & viginti primam excederet. Hæc ille. Conſtituamus ergo triangulum, in cuius apice locata ſit vnitas, à qua terni vtrinque numeri profluant, hinc partes, inde ſimiliter impares: hac videlicet ratione, vt à parte altera poſt vnitatem primùm duo, deinde quatuor, demū octo: altera ex parte ſub vnitate ſimiliter primū tria, deinde nouem, poſtremò ſeptē atq; viginti. Prima itaq; portio quam accepit deus ex ipſo generum, vt ita loquar, fermento ad anim. effingendam, eſt vnitas. Secunda binarius, primæ duplus. Tertia verò ternarius, cuius ratio tripla eſt primæ, hoc eſt vnitatis, ſeſquialtera verò ſecundæ, id eſt binarij. Quarta portio quaternarius, duplus ſecundæ, hoc eſt binarij.



Quinta nouenarius, cuius tripla ratio tertiæ, id eſt ternarij. Sexta octonarius, cuius octupla ad primam, id eſt vnitatem proportio. Septima vigintiſept. ratio quidem ad nouenarium tripla, vnitatē verò excedens partibus ſex atq; viginti. In his vtiq; numeris rationes omnes cōprehendit harmonicas. Nam in ſeſquioctaua inter nouē & octo proportione, progenuit tonū. Muſis nouem obtemperantē. in ſeſquialtera inter tria & duo Diapente gratiā vocis quintæ Venereā. In ſeſquitertia inter quatuor atq; tria Diateſſaron Mercurialē vocis quartæ naturā, ſeſe cōſonātiis accomodantē. In dupla inter duo & vnū, itē inter quatuor & duo, rurſus inter octo & quatuor Diapaſon, id eſt vniuerſam & abſolutā octauæ vocis peperit melodiā Apollini dedicatā. In tripla inter tria & vnū, item nouem inter & tria, rurſus vigintiſept. atq; nouem. Diapaſon Diapente, id eſt octauæ ſimul & quintæ Iouialem compoſuit ſymphoniam. In quadrupla inter quatuor & vnum, & octo atq; duo, ſymphoniam contexuit, Diſdiapaſon, iterum per ſonos quindecim Apollini concinnentem. Venuſtatē verò, tum vocis tertiæ, principiis inſeruit Diateſſaron, tum vocis ſextę, finib. ſubnexuit Diapente: vt delicatiori vocis vtriuſq; mollitie, hinc quidem ſecundæ vocis, inde verò ſeptimæ aſperitas leniretur. Ita enim tertia vox, & ſexta ſunt mollitie ſimiles, ſicuti ſecūda cadens à prima, itē ſeptima degenerās ab octaua, ſunt aſperitate perſimiles.

Principiò vbi deum ait accepiſſe portiones ſeptē, myſterium tetigit, tū in muſica, tū etiam in natura. In muſica quidē: quoniā ad ſeptimū vſq; gradū omnis vocū progreditur diſcrepantia: poſt quem fit ad eadem reuolutio. In natura verò, tū quia multa per ſeptenariū in naturalibus tranſigūtur, qua de re cæteri Platonici ſatis multa dixerunt, tū quia ſeptenarius vnitatem habet, vt copulam geminæ trinitatis: atq; ex his geminis & ſeipſa rurſus explicat trinitatē. Eiuſmodi verò eſt vniuerſi ſimilitudo. Quod quidem in tria principiò diſtribuitur. Vnde Plato hic ternarium commendauit. Diſtribuitur inquam in æterna & temporalia, horúmq; media. Æterna ſub trinitatis ꝓprietate poſſidet in eſſentia quidem ſimplicitatē, in virtute verò ſtabilitatē, in actioe reflexionē. Temporalia viciſſim in trina dimenſione cōpoſitionem habent eſſentiæ, iterū virtutis mobilitatem, actionis deniq; trāſitū. Inter has verò trinitates æternorū atque temporaliū, anima mediū obtinens gradū efficit ſeptimū. Efficit quoq; nonū, hic etiam à Platone laudatū. Nonū inquam, quoniā ipſa tres habet vultus. Nam & ad ſeipſam, & ad ſuperiora, inferioraq; conuertitur. Iuuat hic antequā reuertar ad ſeptenariū paulùper adhuc ternariū vnà cum nouenario cōmendare. Trinitas numerorū prima, principiū & mediū, finemq; rerū cōtinere videtur, atq; ſola inter numeros ratione quadam indiuidua continere. Siquidē ſingula hęc ſingulis ſignificat. Vnitatibus prætereà ſiue cauſas rerū percurrere libeat, triplicem in cauſis inuenient proprietatē. Sūt enim cauſæ in ſeipſis, efficiūt effectus, & factos reducendo perficiunt. Siue ad effectus deſcendas conſiderandos, deprehendes ſimiliter trinitatem. Nam & effectus ſunt in cauſis procedūt ab illis conuertuntur ad illas. Siue ad animā te cōtuleris quę ſublimes cauſas cum infimis connectit effectibus, aſpicies eam in ſeipſa manētē & declinantē ad effectus, & ad cauſas aſcēdentem. Atqui hæc anima triplici ſeptenario regit mundū. Primò quidē occultis quibuſdā ſeptē viribus planetarū in firmamēto per cauſas dominantium. Secūdo ſeptem planetarū formis, in globis ſeptē firmamēto ſubiectis. Tertio ſeptem muneribus planetarū generationē ſub Luna regētibus. Quippe cùm ſub Luna. viuificum quidē lumē Soli, calor autē vrens Marti ſubijciatur: in terra ſuperficies varia Mercurio, moles autē tota Saturno. At in medijs regnat humor, & aerius quidē obtēperat Ioui, Aqueus verò Lunæ. Mixtus deniq; Veneri Item agentes cauſæ ſequūtur Solem, Materię Lunā, Fœcunditas cauſarū agentium Iouē: Materiarū fœcūditas Venerem. Expeditio ad effectū velox Martē atq; Mercuriū illū quidem propter vehementiā, hunc autē ob ipſam dexteritatem multiformémq; virtutem. Cunctorum verò continuatio permanens Saturno potiſſimùm dedicatur. Cęterùm hic per tres ſeptenarios ordo progreditur à ſeptenarijs, qui ſecundū tres animæ mundanæ vires diſtribuuntur. In hac enim intelligentia eſt circulus ſtabilis. Circulus quidē, quia illuc vnde eſt, reflectitur. Stabilis, quia ſubitò. Sub intelligentia quaſi ſub firmamēto tres ſunt vires, ſcilicet ratio vniuerſalis, imaginatio, vegetatio. In ratione ſūt tres circuli quodā modo mobiles atq; temporales. Primus ab anima ad cauſam amandā, atq; viciſſim, naturali quodā inſtinctu clàm ita ferente. Secūdus à rerū cauſis ad effectus cōſiderādos, atq; cōuerſo. Tertius à formis Ideiſq; magis vniuerſalibus ad minus vniuerſales decurſus viciſſimq; recurſus in reliquis duabus animæ viribus ōnino ſunt circuli quatuor ſimiliter tēporales, in vtraq; bini. Primus ad cauſā ſuā reflectio naturalis. Secūdus ab eiſdē formis ad eaſdē certa quadā interuallis certis & perpetua reuolutio ꝑ quā & in cælo cōfigurationū, & ſub cælo trāſformationū tēporalis & certa reuolutio prouenit. Itaq; circuitus generationis neceſſariò cæli circuitū ſequitur, hic verò circuitū animæ. Reuolutio animæ orbē intelligentiæ comitatur. Motus quidē animæ ſi ab intelligētia penitus deſeratur, ſtatim tā in ꝑcipiēdo quàm in agēdo, ſolū trāſibit in rectū. Quod autē repetat ſemetipſā ſimiléſq; per alia gyros glomeret, ſortitur ad intellectu quodā ſuperiore, qui & manēs in ſe, & ſubitò cōuerſus in cauſā, largitur intelligētiā animæ, ꝑ quā quaſi porrectā manū ſiſtit anima natura ꝓpria vagabundā, motūq; eius irrequietū, & ad rectā extra ſe lineā naturaliter ꝓniorē retorquet in orbē medium inter motū rectum atq; quietē. Hinc anima in ſemet reditura meat, mentemq; profundā circuit, & ſimili cōuertit imagine cælū. Sed de his in Theologia diffuſius. Redeamus ad numeros.

SVMMA NVMERORVM HARmonicorum ad compoſitionem Animæ conducentium.

CAP XXXIII.

VNitas ſuperiori figura ſignificat ipſam animę vnitatē ſimplicitatemq; ſubiimē, & propriā diuinæ vnitatis imaginē,

& in ipſa manentem. Dualitas proceſſum animæ in proprietatē ſuā vnitate inferiorē, & quadam iam ratione multiplicem. Trinitas regreſſum eius ad vnitatem, tum propriam, tum diuinam. Quatrinitas progreſſionē animæ à ſe in materiā quatuor elementorū gradibus digerendam. Septenarius virtutem eius ꝑ ſeptem planetarū ſphæras elementa recturā. Octonarius vim per octauā ſphæram planetas gubernaturā. Nouenarius munus animæ octo ſphæras in vnā formam cōciliaturū. Vigintiſeptem numeri ſumma, plenitudinē eius oīa in oībus collecturam. Nā viginti ſeptē ſumma ſupradictos numeros cōtinet, atq; ex illis deinceps in ordine poſitis, vt cōputanti patet, impletur. Neq; ab re pares in figura, & impares numeri deſcribuntur, quo per pares quidē natura animæ diuiſibilis, per impares autē indiuiſibilis cogitetur, fœminea ſimul virtus, et maſcula. Colligūtur quoq; numeri lineares, & ſuperficiales, & ſolidi, vt cognoſcamus animā penetrare per omnia & amplificari paſſim penitúſq; implere. Deſcendit vtrunq; figuræ latus ad ſolidū vtrinq; numerū. Hinc quidē ad octo inter pares, inde verò inter impares ad ſeptē atq; viginti. Vt cogitemus animā vtraq; ſolida, ſcilicet tā cōpoſita quàm ſimplicia prorſus implere. Interualla verò numerorū dupla & tripla & reliqua quæ prædiximus, quid propriè in anima ſibi velint & ſi apud Platonicos adhuc eſt ignotū, licet tamē in præſentia forſan hūc in modū, vt ita dicā, vaticinari. Deſcribatur itaque triangulus iterū, in cuius ſummitate ſit eſſentia. In latere verò vbi numeri impares deſcribebātur, deſignetur infinitudo, & deinceps alteritas atque motus. At in latere vbi diſponebātur pares, ſit terminus, deinde identitas ꝑ ordinē ſtatúſq; ſequatur. Hic quidē ſeptē ſimiliter habebimus limites, quorum anima ſub eadē ad ſe inuicē ratione forſitā particeps fingi poteſt, ſub qua ab initio deſcripti limites numerorū inuicem ſe reſpiciunt, vt anima eiuſmodi proportione tā quinque rerum genera, quàm duo generum elementa, id eſt terminum infinitudinémq; participet. Sit igitur exempli gratia comparatio eſſentiæ ad cūcta ſimul cōiuncta, ſeſquioctaua. Forma enim totius communis vno ſaltem excedit gradu quaſi tono proprias partiū qualitates.



Sit ſub eſſētia infinitudo, id eſt, formabilis aptitudo. Comitetur hāc terminus, velut ipſius forma. Sitq; termini ad infinitudinē proportio dupla. Superari enim oportet ab actu potentiā patiendi. Infinitudinem ſequatur alteritas, ſed terminum comitetur identitas. Atq; hæc ipſa identitas alteritatē ſuperet ſeſquialtera ratione. Poſt hæc ſequatur motus alteritatem, ſtatus autem identitatē, ſuperétq; ſtatus motum proportione ſeſquitertia. Quod Plato ſignificauit, dicens hæc ab illis vix ſuperari. Quòd ſi proportiones hic explicatas conſideraueris, inuenies inſuper triplas, & quadruplas, ſicut ab initio patuit in figura. Nam motum quidem ad infinitudinem, inuenies eſſe triplum. Statum verò ad eandem quadruplum. Cæterùm vt excogitare poſſimus harmonicam participandi proportionem in anima, non ſolùm ſecundum quinq; rerū genera & elementa duo, verumetiam ſecundum vires proprias, ſeptem gradibus diſtributas, reddamus iam ſingulas animæ vires, ſingulis vel generibus vel elementis. Sunt autem hæ vires, vnitas, intelligentia, voluntas, ratio, imaginatio, vis cōnectendi, vis generandi. Poſtremas verò has duas vires ſæpe ſub vna vel naturæ vel vegetationis appellatione complectimur. Conferamus igitur hoc pacto, ſcilicet animæ vnitatem, eſſentiæ: Voluntatem infinitudini. Intelligentiam termino: Imaginationem alteritati: Rationem identitati: Generandi vim, motui: Connectendi virtutem, ſtatui. Similéſq; ſuperiorum inter has vires, proportiones excogitemus. At ſi æquales in anima proportiones excogitemus. At ſi æquales in anima proportiones rerum alibi eſſe diximus, non Arithmeticā paritatem, ſed æqualitatem harmonicam intelligi volebamus.

PER INTERVALLA SPHÆrarum Plato interualla rationum inter animæ partes occupatur. CAP. XXXIIII.

QVemadmodum ex imaginis lineamentis ſæpe viuētis formæ lineamenta coniicimus, ſic ex hoc imaginario cœleſtis animæ vultu, quē in ſpeculari materia mundi cōſpicimus veram eius faciē pro viribus coniectamus. Dupla igitur & tripla & cætera interualla in prima numerorum figura deſcripta, Plato inueniri arbitratus in ſphæris, ad animæ partes & vires, vnde in ſphæras tranſlata ſunt, retulit. Putauit enim quantum ſpatij à terra vſq; ad lunam extat, duplum à terra ad ſolem vſq; protendi: quantumq; ab ipſa vſq; ad ſolem, triplum ab eadem eſſe ad Venerē. Rurſus quantum à terra ad Venerem, quater tantū ab eadem ad Mercurium. Item quantum ad Mercurij ſtellam ab ipſa terra, nouies tantum à terra ad Martem. Et quantum à terra ad Martem, octies tantum à terra ad Iouem. Quantúmque à terra eſt vſq; ad Iouem, Septies & vicies tantum à terra vſque ad Saturni circum. Hic inter cætera vides grauiores planetas Iouem atque Saturnum vtrinq; per ſolidos numeros deſignari. Et ſi alibi ex nonnullorum Pythagoricorum opinione, alias interuallorum menſuras recenſui. Platonicas tamen probabiliores exiſtimo. Per hæc autem forſan intelligi poſſunt quæ in decimo de Republica de ſphæris obſcurius inuoluuntur. Item per illa quæ de numerorum proportionúmque virtute tractauimus, coniectari poſſunt quæ in octauo de Repub. de cœleſti circuitu, & numeris, & proportionibus implicantur.

QVOMODO REPLEANTVR DVplorum triplorúmq; numerorum interualla. CAP. XXXV.

PLato poſtquam primam excogitauit figurā ſeptem limites cōtinentem, in qua duplæ atque triplæ rationes comprahēdūtur, deinceps alteram effingi iubet figuram, adeò maiores numeros complentem, vt vbi duplæ ſeſquitertijs ſeſquialteriſque replentur, hę quoque medię ſeſquioctauis ſic impleantur, vt ſeſquitertiarum ſpatia tonum capiant. Deſcribamus ergo figuram primæ ſimilem, ſed ſenarium ponamus in apice, poſt quem longo ſpatio ſubdamus eius duplum, id eſt duodenarium, idque ſpatiū occupemus octonario ſimul & nouenario. Deinde ſimiliter lōgo ſpatio vigintiquatuor poſt duodecim deſcribamus, & in hoc ipſo ſpatio ſexdecim decēque & octo ponamus, eodē ordine inter vigintiquatuor & quadragintaocto, velut media trigintaduo & trigintaſex inferentes. Hactenus duplorū latus abſoluimus. Deinceps verò triplorum ſpatio conſumemus procul à ſenario ſecernentes decē & octo ſenarij triplum, atque inter eos nouē & duodecim deſignemus. Similiter inter decē & octo & quinquagintaquatuor eius triplum, vigintiſeptem & trigintaſex collocemus. Poſtremò à quinquagintaquatuor ad eius triplum, centū ſexaginta duo, per gemina ſimiliter media ſcilicet octogintavnū cētúmq; & octo progrediamur.



Vt ergo ad primā figuræ huius duplā habitudinē reuertamur, conſideremus inter ſex & duodecim medietates duas, octo ſcilicet atque nouē. Et octonarium quidem inter ſex & duodecim ratione harmonica ſe habere. Nā & excedit ſenarium tertia ſenarij portione: & exceditur à duodenario, proportione ſimiliter duodenarij tertia. Itē ad ſenariū ſeſquitertius eſt, ſed duodenarius ad ipſum eſt ſeſquialter. Præterea differentia inter duodecim atq; octo quaternarius eſt. Differētia verò inter octo atq; ſex, binarius. Sic igitur quatuor ad duo ſicut duodecim ad ſex, duplicē cōtinēt rationem. In his verò quæ diximus artificiū verſatur harmonicū. Cōparemus quoq; nouē & ad ſex, per ſeſquialterā & ad duodecim per ſeſquitertiā qualitatē, & ad octo per ſeſquioctauā proprietatem, qua reſonet tonus: intelligemus profectò hac ipſa ſeſquioctaua duos ſeſquitertios colligari, id eſt, octo ad ſex, nouēq; ad duodecim. Neq; deeſt medietas his numeris arithmetica: ſiquidē nouenarius ſenariū quidē excedit ternario, & à duodenario pariter ternario ſuperatur. Similiter per rationes eaſdē in duplis ſequentibus procedamus, colligantes duplas quidē per ſeſquitertias & ſeſquialteras: itē ſeſquioctaua proportione ſeſquitertias geminas cōnectentes. Similiter fermè excepto tono per triplas diſcurrere licet. Quoniā verò ſeſquitertiæ rationes nō ſolū ex duob. tonis fiūt, verumetiā ex hemitonio, & hoc quidē minore, cui deeſt ad plenū hemitoniū particula quædā: idcircò Plato inquit, in ſeſquitertiis portiunculā quandā eſſe relictā. Cæterùm quidnā ſibi velit in anima figura hac ꝑ ãpliores numeros explicata, nōdū ſatis videtur à Platonicis explicatū, neq; nos in præſentia explicabimus: niſi forſan dū plura ac ſaltē duo media inter extremos terminos collocat, ſubintelligi velit genera rerū elementáq; in anima, quæ oppoſito ſe inuicem modo reſpiciunt, qualitates duas inter ſe inuicem reddere. Velut ſi vbi terminus tangit infinitudinem, indefinitam reportet termini qualitatem: atque viciſſim vbi infinitudo tangit terminum, determinatam infinitudinis ſubeat paſſionem: præterea & in termino ſit infinitudo quodammodo terminatis. & viciſſim in ipſa infinitudine terminus indefinitè progrediens. Accedit ad hæc quòd & inter ipſas animæ vires talia quædam cogitari media poſſunt, & anima ad ſuiipſius exemplar in mundo inter ea quæ longè diſtant, duo ſaltē media inſerere conſueuit. Tonus autem plenum ſignificat motum pulſúmq; animæ tam in ſeipſa quàm in cœlo. At hemitoniū remiſſiorē in elementis, & vſque adeò à primo deficiētem, vt perfectionis eius dimidia minorem ſuſcipiat portionem. Totus denique ſuperior de harmonia tractatus triplicem concordiam ſignificare videtur, ſcilicet inter animam atque corpus, & inter animæ partes inuicem atq; inter partes corporis inuicem.

DIVISIO ANIMÆ, MOTVS & tempus. CAP. XXXVI.

QVod verò ait ipſam generum commixtionem in conſummatione animæ fuiſſe conſumptam, intellige animā à deo proceſſiſſe perfectam, vt ſuam fermè ideam impleuerit. Diuiſio pręterea in longum, oſtendit proprium animæ motum naturaliter eſſe rectum, ſcilicet in ſenſum, & vegetandi ſiue mouendi naturam, Item ob id ſecat in duo, vt oſtendat tum in anima duplicem eſſe rectum motum, ſcilicet ad ſentiendum atque mouendum, tū ab anima in corpore ſimiliter eſſe geminum, ſcilicet vniformem atque multiformem. Interſecat verò lineas duas ad animam figurandam, deinde eas reflectit in gyrum, indicans naturam animæ ex ſe ad rectum motum procliuiorem, ab ipſo deo per intelligentiæ munus circulari motui prorſus accommodari: geminis inquam circulis, firmamento ſcilicet non erranti, ac poſt firmamentum orbibus peruagantium planetarum. Firmamenti quidem circuitus ipſam identitatis intelligentiæq; naturam propriè refert. Anfractus autem multiplices planetarum propriè naturā alteritatis inferiorúmq; animæ partiū repræſentant. Sed ex ipſo interiori animi motu ſimul & tempore, tempus in mundo vnà cum motu conſequitur. Tangit inter hæc pauca quædam atque communia, quæ ad Aſtronomiam pertinent: ſed hęc facilè quiuis vel mediocriter eruditus intelligit, & de his nimis multa Platonici quidam, tum Græci, tum Latini pertractant. Surgit mox quæſtio de ideis ac de generibus animalium mundanorū, de quibus in theologia latiſſimè pertractauimus. Præterea quod de ipſa deorum quorundam dæmonúmq; genealogia recenſet, quidnā habeat veriſimilis, in Theologia ſimiliter & alibi declaratur.

QVÆ ADEO PROXIME, ET quæ per media fiant. CAP. XXXVII.

HActenus patere cuiq; poteſt, ab intellectu diuino mundi opifice animos deóſq; mundanos & dæmones, & omnes mūdi ſphæras, ſpeciéſque ipſas rerum abſq; mediis cauſis proceſſiſſe. Quæ autē de materia prima ſit inter Platonicos ambiguitas, narrauimus ab initio. Mandat ergo poſthac architectus mundi filiis ſuis, id eſt, animabus ſphærarum ſtellarúmque & dæmonū, vel etiam inferioribus angelis, vt ad imitationem ſui, mixtionē ſub luna rerum aggrediantur, hominiq; ſubiiciant omnia, rationalémque eius animam ab ipſo acceptam, corpori caduco concilient per vitā quandam irrationalē, partim ab ipſis, partim ab animo hominis dependentem. Notabis autem in ipſis dei verbis quicquid proximè fit, à Deo, ſempiternum eſſe: & quicquid vlla ratione componitur, quatenus compoſitum eſt, eſſe etiam diſſolubile. Sed quatenus per diuinā volūtatem compoſita quædā ita cōſtātur, vt in eis vnitas ſuper & multitudinē, indiſſoluta ſeruari. Notabis inſuper, vbi ait deum in ſuo habitu permanere dū mādat, miniſtros autē ſequi, nihil mutabilitatis in Deo eſſe, dū mobilia regit & mouet: in miniſtris autem eius prouidentiam eſſe mutationi cuidam propinquiorem. Deniq; in his omnibus Moſaicum illud, Ego ſum qui ſum, cognoſces mirificè confirmatum.

DE HOMINE QVOAD PERtinet ad animam atque corpus. CAP. XXXVIII.

RAtionalē hominis animam ait à deo ex eiſdem rerum generibus eodem in cratere commixtis, atq; mundi animā fuiſſe conflatam. Crater ſignificat ipſam vitę rationalis ideā. Sed adiungit ex reliquiis ſuperioris commixtionis fuiſſe confectā, ſignificās particulares vitas vniuerſali vita inferiores eſſe. Tū verò deus animas, id eſt ſingulos ordines, animarū, ſingulis ſtellis accomodat. Adhibet & vehicula, id eſt æthera corpora. Docet & fatales leges, dū animabus infundit formulas idearū, per quas animæ in ſe quādoque cōuerſæ, rationes rerū agnoſcere poſſint. Quod autem de animæ deſcenſu fatali atq; circuitu inquit, alibi eſt expoſitū. Poſt hæc miniſtri dei fabricā humani corporis proſequuntur, occultis eā vinculis connectētes. Per vincula hæc occulta intellige cōplexionē hominis eſſe adeò tēperatā cœlóq; perſimilem, vt vix in ea elementalium qualitatum exceſſus appareat. Subdit deinde circuitus animæ in mole corporis impediri. Hic tu ante alia memēto animam noſtram ſimili ratione atque mundi animā contextam fuiſſe, ſimilėſq; circuitus poſſidere. Circuitum ergo intelligentiæ impediri ait, rationis verò circuitū diſtrahi duabus præcipuè rationibus: tū quia prius quàm adultū ſit corpus, anima tota in fabrica corporis occupatur: tū quia quę extrinſecus ſenſus mouēt in teneriori ætate offendunt vehemētius, & propter nouitatē rerū animam circa corporea reddunt admirabundā. His ergo de cauſis, diu & intelligētia à diuino vacat officio, & rationalis ipſe diſcurſus circa inferiora diſtractꝰ, quaſi demēs, turbatur & fallitur. Sic igitur totus animus peruerſam figuram ſubit, vitámq; ducit laborioſam, dum ratio cedit ſenſibus perinde ac ſi quis caput pro pedibus humi figat, pedes verò pro capite tollat in altum. Iam verò quæ de membrorū corporis diſpoſitione adducit in medium, ſatis à medicis pertractantur. In quibus id potiſſimum obſeruabis, caput dici non principale ſolùm, ſed etiā totum in corpore. reliqua enim ſolum vt capiti ſeruiant, adiuncta fuiſſe. Ex quo colliges hominem contemplationis gratia eſſe natum. Sequitur de ſenſuum inſtrumentis. Quæ verò in his de viſu dicūtur, à Chalcidio ſatis, & quę de ſomnus, alibi ſatis exponuntur à nobis. Conſiderabis mox firmā de cauſis Platonis noſtri ſentētiam: res qualitatéſq; corporeas quæ non ex ſe, imò ab incorporea quadā cauſa mouentur, & diriguntur ad finem, non eſſe reuera cauſas appellandas, ſed latentis prouidentiæ inſtrumenta. Cauſam verò præcipuam eſſe voluntatem prouidentiæ, ad exemplar ſui ſic omnia diſponentis, vt optimè ſe habere iudicat & decernit. Itaque finalem cauſam perſcriptam in prouidentia, ſummam Plato aſſerit cauſarum. Tum cōfirmat iterum hominē eſſe natum ad cœleſtia contemplanda, imò verò ad ipſum cœli motorem pro viribus imitādum. Et quemadmodum dixerat viſum, ſic & auditum cōtemplationis & diſciplinæ gratia nobis eſſe tributum. item vt per ſenſibilem harmoniam animi quoque motus harmonicè componamus. Cæteros autem præter viſum auditúmq; ſenſus, quaſi minus conducant ad ſpeculandum, nihili pendit.

QVOMODO MVNDVS EX mente & neceſſitate compoſitus ſit. CAP. XXXIX.

POſtquam tractauit de formali mundi ordine, quē ideo vocat intellectum, quoniam eſt intelligētiæ diuinæ ſimulacrū, tractat iam de materia mundi: quā ideo neceſſitatem nominat, quia non propter ſeipſam, ſed tanquā formis vltimis neceſſaria, eſt introducta. Itē quia mundus ob eius admixtionem deforme nonnihil neceſſariò patitur. Hinc illud, Mūdus eſt ex intellectu & neceſſitate cōpoſitus: id eſt, ex ipſo formarū ordine atque materia, Poſſumus quinetiā ſub neceſſitatis nomine intelligere nō materiā ſolùm, ſed animā quoque eius in primo proceſſionis ſuæ ſigno velut informem materiæ inſtar cōſideratam. Vtraq; enim, tam anima quàm materia, in primo originis ſuæ ſigno informis quidē eſt, ſed facilè eſt formabilis per intelligētiæ munus, vnde & ipſi animæ rationes ſeminaq; formarū naturalium infunduntur, & materiæ qualitates atq; formæ. Quod autē ait, ante munde diſpoſitionē elementa quodāmodo extitiſſe, intellige quaſdā elemētorum vires tum formatrices in anima, tū formabiles in materia, Itē quod inquit materiā ante mundum abſq; ordine fuiſſe iactatā, expone potētiā animæ motricē etiā ante intelligentiæ munera potuiſſe materiā agitare, ſed procul ab ordine. Præterea vbi ait mundū à Deo exornatū fuiſſe perſuaſa prius Neceſſitate, ſic accipe, vt prima illa materię animęque natura quamuis cogitetur informis, tamen præparationē à Deo ad formas adeò formabilē ſuſceperit ab initio, vt nō potuerit eſſe paratior. Obſeruāda inter hæc eſt illa diſtinctio qua dicitur vniuerſū in exordio libri in duo fuiſſe diuiſū, id eſt, exēplar atq; ſimulacrū: nunc verò diſtinguendū eſſe in tria, id eſt, exēplar, & ſimulacrum, & materiam, Hic primò quidē videri poteſt re ipſa idem eſſe, ipſum exemplar

mundi & efficientem eius cauſam & finalem. Deinde totū mundi ordinē nō tam ſubſtantiale quiddam eſſe, quàm inuiſibilis mūdi ſimulacrū. Præterea quod materiam & ſuprà ſecreuit à mente, & hic à mentis ſecernit ſimulacro, coniectare poſſumus materiā non tam per ideam propriam, quàm per ideam formæ à Deo procedere, neq; antecedenti propoſito, ſed quodāmodo conſequēti, ab intelligentia, vt ita dixerim, adinuentam. Tū verò & materiā eſſe, & quid ſit, & quo pacto ſe habeat, ex perpetua tranſmutatione formarū diligenter oſtendit: ex qua etiam materiales formas eſſe quodammodo falſas argumentatur. Deinde per eas ad veras idealéſque formas aſcendit, quæ omnia in Theologia planius declarantur. Adduxit in mediū multa materię nomina, ſcilicet ſpeciē inuiſibilem, Sinū informem omniúmq; capacē formarū, Naturam, Potentiā, Matrem mūdi, Nutricem formarū, Subiectum, Receptaculum, Locū. Sed ex hoc loci nomine videre licet Peripateticū adeò ineptum, ſiue maleuolum potius, vt dementiæ Platonem inſimulet, quaſi materiam voluerit locū eſſe propriè mathematicū. Quod quidem per cætera materiæ nomina euidentiſſimè confutatur. Deniq; ex eo quod materia propriā ſibi vendicat informitatem, argumentare vnitatem ſibi pariter vēdicare. Si enim informis, ergo & indiſtincta. Si ita, ergo & vnū. At ex eadē informitate nō ſibi vendicat eſſe, ſed per ipſam potius cadit ab eſſe. Cùm igitur vnū, atq; ens, non æquè materię cōgruant, eadem inter ſe eſſe nō poſſunt. Eſt autē vnum ſuperius ente, quoniam latius ſeſe fundit: præſertim cū priuationi in ſuper cui nō conuenit ēs, tamē cōueniat vnū. Ex hoc rurſus argumētamur materiā à ſummo tātùm principio rerū poſſe produci.

QVOMODO PHYSICA CONſtent ex mathematicis, ac de elementis & mixtis. CAP. XL.

DEinceps Phyſica per mathematica probaturus, in primis mathematicorū doctrinā laudat tanquā omnis eruditionis ingenuæ viā. Longū, Laurenti, foret in præſentia recenſere, quot noſtris temporibus mathematicam ingreſſi viam, ad finem peruenerint exoptatū. Petrum Leonem Spoletinū nouimus mathematicorum maximè beneficio, non Ariſtotelicos tantùm, verūetiam Platonicos iā ſenſus penetrauiſſe. Florentiæ verò Baptiſtam Leonē Albertū ab eiſdē diſciplinis exorſum, opus in architectura pulcherrimum edidiſſe. Quid dicam de Franciſco Berlinghierio noſtro Nicolai filio? nónne hic mathematicorū beneficio fretus de Coſmographia verſibus ſcripſit egregiè? Neminē verò turbet, quòd Plato Pythagoreorum more ex mathematicis phyſica cōponere videatur. Non enim intelligi vult naturalia corpora ex figuris & numeris tanquā ex elementis & partibus, ſed tanquam ex terminis, quadam reſolutione componi: quòd videlicet naturalia in illa quaſi riora, ac veluti terminos reſoluantur. Nónne termini corporū dimenſiones ſunt atq; figurę? Numeri etiam termini figurarum? Pręterea ſpecies naturales ſubiecto non ſolum cōmuni, ſed proprio indigent. Figuris autē ſatis facit cōmune ſubiectum. At numeri, neq; proprio, neq; cōmuni, neq; vllo prorſus corporeo indigent fundamento. Ex quo patet figuras quidem naturalibus ſpeciebus, numeros autē figuris eſſe priores. Triplicem ergo in rebus ordinē Pythagoras Platoq; cogitabant, ſpecierū, figurarum, & numerorum. Triplicem ſimiliter inter ideas, adeò vt & in rebus & in ideis, ſpecies in figuras, figuræ reſoluantur in numeros: atq; certæ ſpecies figuris certis, certæ figuræ certis numeris quodam modo congruant, rerū ordine omnino ſic exigente. Quamobrē vbi aiunt ſpeciem ignis ex pyramidali figura, & pyramidē ſolidā ex triāgulis quatuor, & hos ex quaternario ternarióue conſtitui, ſignificare volunt proprietatem quādam in his cunctis cōmuniter eſſe perſimilem, & comparanda hęc inter ſe potius quàm componenda. Hac vtiq; ratione figuram igni pyramidalem tribuit. Aeri figuram facies habentem octo, quam nominat Octaedram. Aquæ facies habentem viginti, quam Icoſaedram vocat. Terræ facies ſex habentem, nomine Cubum atque Talum. Vniuerſo denique duodecim facies poſſidentem. Et pyramidalem quidem figuram ideò conuenire vult igni, quia tenuis, & ad inciſionem præ cæteris apta, ex paucioribúſque triangulis conſtituta: ideóque omnium leuiſſima figurarum. Figuram verò cubicam terræ, quia ſolidiſſima atque ſtabiliſſima ſit. Figuras alias mediis elementis, quoniam ad motū atq; ſtatum inter ignē & terrā medio modo ſe habent. Dodecaedrā, quæ duodecim facies habet, congruere putat mūdo propter ſphæras duodecim, ac ſigna duodecim in Zodiaco. Reſoluit autē ſolida in plana, plana verò in triāgulos, præcipuè in eos qui rectanguli nominātur. Quorū vnus Scalenus ſit, id eſt ſcalaris, latera ōnia inæqualia poſſident. Alter Iſoſceles, id eſt æquicrurus, duo habens ęqualia latera. Nam triangulū æquilaterem, in quo neque rectus angulus, neque linea in perpendiculum recta ſit, minus componendis planis aptum exiſtimat.

Conſtituit ex Scalenis pyramidalem & octaedram, Icoſaedrámque molem: cùm pyramis ex triangulis quatuor æquilateribus conſtituatur, quorum quilibet in ſex triangulos Scalenos diuiditur. Octaedra figura ex octo ſimilibus, quorum quiſq; in ſex triangulos Scalenos ſimiliter diſtribuitur. Icoſaedra figura ex viginti ſimilibus, quorum quilibet ſimiliter in ſex Scalenos euadit. Iſoſceles autem triāgulus figuræ cubicæ dicitur elementū. Quatuor enim Iſoſceles trianguli concurrentes quadrangulum complent. Ex huiuſmodi verò quadrāgulis ſex Cubus efficitur. Denique Dodecaedram figuram mundo, vt dicebam, accōmodauit, quoniam ſiderum formæ duodecim ſuſpiciuntur in Zodiaco, quorum quælibet in partes triginta ſecatur. Similiter in figura dodecaedra intueri licet pentagonos duodecim, ſingulatim in triāgulos æquilateres quinque diuiſos, ita vt vnuſquiſq; rurſum ex triangulis ſex Scalenis cōficiatur, & in omni mole dodecaedra trecenti ſexaginta reperiantur triāguli quot etiam in Zodiaco portiones exiſtunt. Tractat verò deinceps de motibus paſſionibúſq; elementorū. Item quo pacto diſtinguantur in partes, & inuicem miſceantur, & quos effectus mixtione conficiāt. Præterea qualis ſit tum elementorum, tum mixtorum inuicem commutatio: Inter hæc de mixtis imperfectis agitur, & de perfectis, de liquoribus, & lapidibus, & metallis. Sed hæc fermè omnia Pythagorico more ſub obſcuris metaphoris inuoluuntur: apertioribus autē verbis Platonē auditoribus tradidiſſe putamus, & Ariſtotelem præ cæteris manifeſtius eadem literis commendaſſe. Horum itaq; omnium à libris Ariſtotelis de generatione atq; Meteoris interpretatio requiratur. Tractat inſuper de paſſionibus quæ ab elementis animalium ſenſibus inferuntur. De paſſionibus inquā, & occultis & manifeſtis. De voluptatis dolorìſq; ſpeciebus. Quæ in Philebo, & noſtro de Voluptate libro perſpicuè declarantur. Agit præterea de ſenſibus ipſis, eorumque obiectis. Diſtinguit ſapores, odores & voces atque colores.

ITERVM DE HOMINE quantum ad animam ſpectat & corpus. CAPVT XLI.

COnſideratione dignum eſt, quantū nos admoneat Plato noſter dandā eſſe operam, vt nos ipſos pro viribus cognoſcamus, meminerimúſq; omnia infra lunam fuiſſe nobis à deo ſubiecta, nequando ipſi contra dignitatem noſtram inferioribus nos viciſſim ſubiiciamus. In ipſo enim totius diſputationis exordio decretum eſt de vniuerſo tractari vſq; ad ipſam hominis genituram. Rurſus in medio diſputationis curſu diis à patre præcipitur exornare hominem, dominum animalium, quem ad imaginē & ſimilitudinem ſuam eſſe velit atq; præeſſe. Deinde paucis interiectis reditur ad hominem. Demum prope finem reſumitur, quod primò fuerat inſtitutum, videlicet de vniuerſo vſque ad genituram hominis fuiſſe tractandum. Atq; in cunctis Moſaico more probatur hominem in diuino hoc opificio, & in primis proponi, & poſtremum fieri quaſi finem. Ergo nunc & omittens alia repetit diuinum in homine generando mandatum, & in hoc abſoluendo diuinorum obſequiū miniſtrorum, neque id quidem iniuria. Prædixerat enim ſolum in terris hominem iuſtitiam & ſuperos eſſe culturum: vt maximè rationi ſit cōſentaneum, deos genituram hominis diligenter excoluiſſe. Sed his omiſſis, quæ ſequuntur expediamus. Iterum de anima irrationali tractatur nō à deo proximè, ſed per ſequentes mobiléſque cauſas conſtituta, quæ rationali ſubiecta ſit, cælitus à deo demiſſæ. Irrationalē verò animam Platonici non tam ſubſtantiale aliquid quàm accidētale quiddam eſſe putant, quaſi rationalium veſtigium animarum, in quo ſenſus quidem ſint, ſed per diuerſa corporis inſtrumenta diuiſi atque patibiles. Senſum autem in ipſa animæ rationalis ſubſtantia ponūt communem, ſimplicem, impatibilem, qui non propriè accipiat illatas à corporibus paſſiones, quemadmodum ſenſus alter, ſed alterius ſenſus percipiat, ſiue potius iudicet paſſiones. Proinde rationalis animæ ſubſtantiam indiuiſam, & in ſe conſiſtentem eſſe probant, neque capiti velut ſuſtentaculo, commendatam, ſed quaſi vel inſtrumēto ipſius accōmodatam, vel cuidam in ſuo genere ſimili comparatam. Irrationalem verò in membris quodammodo reſidere: & partem quidem eius

audac

audaciæ & iracundiæ compotē cordi: partē verò concupiſcentiæ deditam, iecori commendatam. Verùm de hoc ipſo iecore miram Pythagoricorum notabis opinionē, videlicet in membrū ex certa ſoliditate & clara pariter lenitate ſic eſſe contemperatū, vt ſpeculi modo imagines rerū accipiat facilè admodū atq; reddat. Profectò quemadmodum imaginatio vehemens grauidæ mulieris in fœtu tenerrimo ſæpe exprimit rei deſideratæ notas: ita vehemens ſiue mentis notio, ſiue ſenſus imaginatio naturā iecoris ſpecularē facilimè format. In hoc ipſo ſpeculo dæmones ſuperiq; futurorum effingunt imagines quoties pacato prorſus animo aliunde illic imagines non pinguntur. Itaq; futurorum notæ ſpeculo huic infuſæ in mente protinus imaginationémq; reſultant: ſed illic ſæpe imaginibus aliis adeò confunduntur, vt futura portendere nequeant. Quando videlicet vel mens prudentię officiis occupata circa gubernādam diſtrahitur, vel imaginatio ſimilibus negotiis occupatur. Vbi verò rationis imaginationiſq; vacat prudens & cōtinuata & laborioſa diſcurſio, ſæpe imagines futurorū à ſuperis in ſpeculū noſtrū proſilientes, inde in iudiciū manifeſtè reſiliūt. Verū quidnā protēdat diſcernere illius eſt officiū, quia ab antecedētibus in cōſequentia prudēter ſagaciterq; diſcurrere cōſueuit. At verò diſcurſio talis impedit vaticinium, vt meritò alij ſint qui præuident, alij qui præuiſa interpretātur & explicant. Poſt hæc proſequitur materiā latiſſimè à medicis explicatā de humoribus complexionibuſq; & mirabili humani corporū artificio. Atqui elegantiā Platonis in hominis corpore deſcribēdo adeò admiratus eſt Bartholomæus Fontius noſter rhetor egregius, vt præclara oratione probauerit neq; Lactantiū, neq; Corneliū Celſum, neq; Ciceronē ipſum in re deſcribenda ad mirā Platonis eloquentiā accedere potuiſſe. Inter hæc preceptū religioſum conſiderabimus, nō eſſe de diuinis vlterius affirmandū, quàm diuinū confirmet oraculū. Item prouidentiā in homine componendo nullam omnino aliā habuiſſe rationē, niſi vt contēplationi foret aptiſſimus. Rurſus res naturales in effectibus producēdis nō eſſe propriè cauſas, ſed diuinæ prouidentiæ inſtrumēta. Principalē nanq; cauſam ſingulorū in ea intelligentia ſitam eſſe, quæ boni rationē habēs ſingula futuræ cōmoditatis gratia fabricat. Definit deinceps quid ſanitas corporis ſit, quid morbus. Diſtinguit quoq; morborū, tū aliorū, tum febriū ſpecies, ſingulorūque rationes aſſignat. Quales eſſe potiſſimū rationes quas apud Galenū Platonicū legi, iam diu exiſtimaui, ac nuper à Georgio Cyprio inſigni medico ſum in ſententia cōfirmatus. Hic enim his diebus cū ad me curādæ matris meæ gratia frequēter accederet, meq́; reperiret hæc ipſa legentē, miro quodā ordine Galeni mentem cum Platonica mente coniunxit. Poſt hæc autē perfectā hominis valetudinē definit communem corporis animique concordiā. Quā tunc demū poſſideri putat, quando tam corpus quàm anima in ſeipſis diſponūtur bene, deinde ſimul optimè cōponūtur. Optimè inquā, id eſt, æquali quadā menſura, vt neq; robur animi nimis excedat modū corporis, neq; robur corporis ſuperet animi modū. Sed antequam perfectā hanc definiat ſanitatem, animi morbū diſtinguit in duos, ſcilicet ignorantiā & inſaniā. Inſaniā verò duplicē eſſe ait. Vnā quidē occultam, quæ incontinua pronāq; ad inſaniam affectione conſiſtit, puta habitum quendam ad perturbationem aliquam propenſiſſimū. Alteram verò manifeſtā, ſcilicet quā vel aliqua perturbatio ſupra modū adaucta detegit, vt in gradu ſummo cupiditatis & voluptatis, timoriſq;, & doloris, & iræ: vel vapores humorū incluſi mēbris inducūt, vt atra bilis ex ſanguinis, vel bilis, vel ſalſæ pituitæ aduſtione proueniēs. Interea vbi ait, neminē ſpōte eſſe malū, ſed propter naturā cōſuetudinēq; deprauatā intellige naturalē procliuitatē nō mediocriter per oppoſitā conſuetudinē cohiberi ab initio potuiſſe: ſed procliuitatē illā diuturna conſuetudine confirmatā extirpari quidem omnino non poſſe, exacta nihilominus doctrina exhortationibúſq; amputari. Docet poſt hæc colere corpus ſimul & animū, perpetuo quodā exercitationis motu. Exercitationis inquā moderatæ, motu inquā proprio, & ad bonū propriū ritè directo: quo vtrunq; exercitatum atq; nutritū tantum viriū conſequatur, vt alteri non ſuccumbat. Optat quidē Plato corpus animo cedere, ſed nō ita ſuccumbere, vt motus animi ſuſtinere nō poſſit. Optat corpus validum atq; firmum, ſed ſub animo longè validiore. Mox quantum exercitationem laudet, attende quantum temerarium pharmacorū vituperet vſum. Proinde quēadmodū tam corpus quàm animā propriis exercere & confirmare motibus iuſſerat, ſic tres animæ vires, id eſt rationalē, animoſā, cupidā, ſuis quamlibet motibus præcipit conſeruare: Veruntamē rationalē alimētis frequētioribus enutrire, ne cęteris ſuccūbere compellatur. Ait intellectum homini pro dęmone datum, ſcilicet intimo. Alterum enim dæmonem habet externum. Item rectum corporis habitum quaſi cœleſti tributum. Rurſus eum qui vires irrationales ſupra modum nutrit, mortalem euadere quaſi docet quomodo accipiendum ſit vbi ait hominem fieri brutum, id eſt bruto perſimilem. Addit eum qui præcipuè alit mentē ſic immortalem fieri, vt immortalitatis nulla pars deſit. Imperfecta enim immortalitas eſt, quæ motum agit perpetuum: perfecta verò, quæ manet: qualis vtiq; eſt in eo qui ſola iam intelligentia viuit, euaditq; ex homine dæmō. Ex quo intelligitur etiam quando ait hominem effici brutum, id non propriè, ſed quadam ſimilitudine dici. Præterea ex eo quod ſubdit, fœminas ortas ex maſculis, ſi placet, obſcurè nobis referat Moſaicum illud: Euam ex viro fuiſſe productam. At verò gradus brutorum omnes paulatim ex grauiori rationalis animę lapſu multiplicari, intellige animā noſtram ob quandā liberi motus infinitatem, poſſe & intra ſe in brutorū omniū affectus habitúſq; proruere, & extra ſe ſupplicij loco inter ſimilia bruta, vel brutorū loca diuino quodā transferri iudicio. Sic omnes inferiorū viuētium dotes in hominis anima tanquā perfectiſſima contineri, atque brutorum animas ipſo rerum generationiſq; ordine ad noſtram referri, quaſi finem. Si hunc in modum progreſſionem animæ rationalis in alias, atque viciſſim in hanc aliarum regreſſionem acceperis, forſan à Platonico ſenſu nō aberrabis. Ipſe enim hic ſub perſona Pythagorita loquens, fabulā opportunè confingit Pythagoricarū ſimilem fabularū. Atque ne hæc quaſi ſub hiſtorica veritate forſan admitteremus nō aliter quàm poetæ ſoleant animalium transformationes adducit. Atqui Timæus Locrus in libro de Mundo fabuloſa hæc eſſe fatetur. Hæc igitur ſic accipito: Timæique librum eo fine concludito, qui doceat nos, Deum ante omnia colere, qui bona omnia ſola benignitate prouidentiæ procreauit. Decreueram magnanime Laurenti, breuiora hic quemadmodū argumentum decere videbatur, afferre, multaque amplioribus commentariis, quæ in Timæum iam deſignauimus, reſeruare: ſed Philippus Valor Platonicorum ſtudioſiſſimus, penes quem vniuerſo Platonico operi in agro Maiano extremam manum impoſui, plura me hic coegit effundere. Philippus Valor Valoriæ virtutis generoſiſſimus hæres. Cui ego plurimum debere me fateor tū, quia Platonica egregiaq; omnia magnopere colit, tum quia ſingulari amore erga te tuoſque omnes afficitur.

TIMÆVS PLATONIS.

SOCRATES, TIMÆVS, CRITIAS, HERMOCRATES.

VNus, duo, tres. Quartus autem, ô amice Timæe, corū qui à me heri conuiuio accepti, viciſſim me accipiunt nunc, vbinam eſt? TIM. Aduerſa aliqua valetudine laborat, ô Socrates, Nō enim ſponte ab hoc cœtu & diſputatione abſtinuiſſet. SOC. Ergo tuum, ô Timæe, & horū erit officiū quarti illius abſentis partes implere. TIM. Ita prorſus. Sanè nihil quoad fieri poterit, prætermittemus. Nam cùm lautè ab te heri accepti fuerimus, haud æquū ſit, ſi nō pari alacritate qui hîc ſumus te viciſſim accipiamus. SOC. Non recordamini quæ vobis & quā multa tractanda propoſui? TIM. Partim quidem recordamur, partim verò tu, ſi exciderint, ſuggeres. Imò verò niſi moleſtū ſit breuiter illa ab exordio repete, quò magis ea nobis conſtent. SOC. Faciā equidem. Summa diſputationis heſternæ erat. Reſpub. qualis mihi, & ex qualibus viris optima poſſe fieri videretur. TIM. Nobis certè omnibus valdè probata ſunt, ô Socrates, quæ dixiſti. SOC. Principiò agricolas cæteróſq; artifices à militibus ſeparauimus. TIM. Certè. SOC. Cùm verò cuiq; quod pro naturæ inſtinctu præcipuè ſuum eſt, & ſingula tantùm ſingulis artibus officia tribueremus, illis quoq; quos præ cæteris bella gerere oporteret, id vnum duntaxat, protegendæ ſcilicet ciuitatis munus iniunximus & aduerſus externos hoſtes, & aduerſus ciues reip. euerſores: ita vt erga ſubiectos tanquā natura amicos mites ſint, cōtra hoſtes verò prælio ferociſſimi. TIM. Ita prorſus